



**Historia De Vita, Moribus, Rebus Gestis, Studiis Ac
Denique morte Praedicantium Lutheranorum, Doct.
Martini Lutheri, Philippi Melanchthonis, Matthiae Flacii
Illyrici, Georgii Maioris, et Andreae ...**

Complectens ortum, progressum [et] incrementa, tum arcana plurima
hactenus non prodita, omnium penè huius temporis haeresum

... Vita ... Philippi Melanchthonis. Matthiae Flacii Illyrici. Georgii Maioris, Et
Andreae Osiandri

Ulenberg, Kaspar

Coloniae Agrippinae, 1622

Vita Et Res Gestae Philippi Melanchthonis Ab Ortiv Ad Obitvm Vsque Avtore
Casparo Vlenbergio Lippiensi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65643](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65643)



VITA ET RES GESTAE
P H I L I P P I
 MELANCHTHONIS

AB ORTV AD OBITVM
 vsque
 AVTORE CASPARO VLENBERGIO
 Lippiensi.

C A P V T I.

- I. *Natales & ingeniū Philippi Melanchthonis.*
- II. *Studia eius & linguarum cognitio, tum gradus litterarij.*
- III. *Ab Elect. Sax. VVittenbergam euocatur ad profess.hum.liter.*
- IV. *Lutheri partibus adiunctus Eccium perstringit ob colloqu. Lipsiense.*



ACTENVS Lutheri vitam ANNO
 & res gestas prosecuti su- 1497.
 mus; & quidem paulò pro-
 lixius; quod is pater fue-
 rit, & antesignanus omniū
 eorum, per quos excitatum
 fuit superiore seculo lu-
 etuosum illud religionis incendium, quo
 iam multis annis Europa miseradum in mo-
 dum

ANNO
1497.

Melanch-
thonis na-
tiuitas &
patria.

Vittēberg.
in vit. Mel.
b. 1.

Bucholtz in
Chron. ad
an. 97.

Henr. Pan-
tal. Profes.
pag. 3. fol.

191. in Mel.
Eius inge-
niū docile.

Vitus Vins-
heimi apud
Bism. in
vit. Mel.

q. 2.
Melch. A.
dam in Mel.

pag. 327.
Camerar. in
vit. Mel p. 1.

Grāmaticę
& Musicę
inuigilat.

dum conflagrauit. Huic nunc adiungemus è
discipulis & socijs nonnullos, qui Lutheranae
sectae populum in multas factiones distraxe-
runt; quorum actiones & mores breuius de-
inceps pertexemus. Inter eos verò fa-
cilè primus est Philippus Melanchthon,
qui licet indole, moribus, ingenio, à Lu-
thero multum dissidebat; erat enim à na-
tura formatus ad humanitatem; in ean-
dem tamen cum eo sententiam de religione
coaluit.

Hic Brettæ natus est sub Electore Palati-
no, anno supra millesimum quadringentesi-
simum nonagesimoseptimo, decimosexto
Februarij post septimam vespertinam. Pa-
trè habuit Georgium *Schyvarizerd*, qui Phi-
lippo Palatino fuit à seruitijs in custodia ar-
mamentarij; matrè verò Barbaram, Ioannis
Reuteri Brettani prætoris filiam: A quibus
litterarum studijs destinatus fuit, cum filiū
animaduertent excellenti præditū inge-
nio, quod & culturæ capax erat, & ad studia
satis propensum. Cum verò pater ministerio
Principis occupatus frequenter abesset, fi-
lium, ne prima ætate negligeretur, focero
commisit ciuitatis prætori, qui curam illius
egit magno affectu. Nec enim in familiam
modo recepit Philippum nepotem, fouit-
que benigne, sed & præceptorem illi adiun-
xit Ioannem Hungerum, qui puerum hunc
in præceptis Grammatices & Musices insti-
tuit.

Cum

Cum verò pater ipsius & auus nutri- ANNO
 tius anno 1508. paucorum dierum inter- 1508.
 uallo decessissent, ne quod in studijs ca- II.
 peret detrimentum, ad cognatam quan- Anno 1508.
 dam missus fuit, Ioannis Reuchlini, vi- Pfortze-
 ri illius doctissimi sororem. Ea ha- mium mit-
 bitabat Pfortzemij in ditone Marchio- titur.
 num Hochbergenium, vbi tum tempo- Camer. f. 7.
 ris Georgius Simlerus, VVimpinensis Mel tom. 3.
 scholam feliciter aperuerat. Agebat, expl. Euang.
 cum Pfortzennium mitteretur Philip- pag. 803.
 pus, annum ætatis vndecimum. Acci- Eius cogna-
 dit verò, vt Ioannes Reuchlinus, quem tus Ioan.
 diximus, sororem suam nonnunquam in- Reuchli-
 uiseret: Cumque videret puerum, & nus.
 quas illi natura dederat ingenij dotes ani-
 maduerteret, sponte sua currentem ad-
 monitionum calcaribus incitauit, vt
 diligenter pergeret in studijs, quam ad-
 rem quibusdam eum munusculis fe-
 cit alacriorem. Inter cætera mytram il- Honora-
 li doctorem puniceam dono dedit, tur munus-
 quam in Italia susceperat: tum libel- culis.
 los quosdam; imprimis præcepta Gram- Vitus orat.
 maticæ græcæ, quæ id temporis inter de Mel. q. 3.
 paucos erant in vsu. Cœpit tum Me- VVittenb. in
 lanchthon eodem loco frequenter ope- vit. Mel. b. 2.
 ram dare cuidam Ioanni Hildebrando lin- Græcæ lin-
 guæ græcæ perito: Apud quem cum satis guæ in-
 feliciter illius linguæ prima fundamenta cumbit.
 imbiberet, & magnam adhiberet in eo studij
 genere diligentiam, Reuchlinus, vt denuo

ANNO
1509.

Comœdiã
exhibet.
Camer p. 9.
Cognomẽ
mutat.

Anno 1509
Heidelber-
gã fit Bac-
calaureus.

Vitus Vinsh.
q. 3 de Mel-
Pedagogio
præficitur.

In ep. fo. 142

calcar adderet, lexicon illi græcum promi-
fit; eã conditione tamen, vt vbi Pfortze-
mium reuerteretur ipse, Philippus versus ali-
quot offerret à se compositos. Ita factum est,
vt in poesi græcisque litteris multum ope-
ræ poneret, eosque breui faceret progressus,
vt in iuuentute Comœdiam quandam scri-
beret, quam, assumptis socijs, Reuchlino spe-
ctandam exhibuit honoris causa. Atque hic
suafor illi fuit, vt patris cognomentum, quod
latinè nigram terram sonat, græcè verte-
ret, seque deinceps Melanchthonem appel-
laret. Cæterùm in hoc studij genere Pfort-
zemij mansit ad biennium. Tandem pro fe-
ctus fuit Heidelbergam anno Christi mille-
simo quingentesimonono; cumque in ea V-
niuersitate Philosophicis studijs aliquandiu
nauasset operam, anno sequente Baccalaure-
atum suscepit. Adiunxit verò studium
poeticæ & historiarum fabularumque le-
ctionem, quã magis delectabatur, quam spi-
nosis illis de Philosophia disceptationibus.

Interim Ludouicus Comes Liebenstei-
nius duos illi filios bonis litteris imbuendos
commisit: quibus dum præfuit, lectiones
audiuit in Philosophia necessarias ijs, qui ma-
gisterij lauream petunt. Scribit Melanch-
thon ipse, se Philosophiam celeriter perce-
pisse vel exhaustisse potius; quanquam ipsi
præceptores, quæ tradebant in hoc genere,
non intelligerent. Absoluto verò curriculo,
quod pro more illius vniuersitatis à bacca-
laurea-

laureatu reliquum erat, magisterij gradum ANNO
 petijt. Tum verò deliberatū fuit inter Pro- 1511.
 fessores, an esset ea ætate adolescens ad ma- Magisterij
 gisterij gradum admittendus? Quod cum lauream
 intelligeret in dubium vocari, offensus Hei- petit.
 delbergā discessit anno 1511. & ad Tubingen- Anno 1511.
 sem Academiam profectus publicè disputa-
 uit aliquoties in scholis Philosophicis, sui-
 que profectus in hoc studiorum genere, at-
 que eruditionis insigne specimen dedit: at-
 que istic anno Christi 1514. 25 Ianuarii æta-
 tis verò decimosexto, magisterii lauream
 suscepit: quem gradum cum adeptus esset,
 poetices & historiarum professionem obiuit,
 vsque ad annum 1518. quo VVittenbergam
 fuit auocatus vt paulò post dicemus.

Eam Tu-
 bingę con-
 sequitur.
 Anno 1514.
*Erard. Cel-
 lius in orat.
 de vit Ioan.
 Brent pag. 4*

Interim verò, Tubingæ & typographo cui-
 dam Thomæ Anselmo locauit operam suā, Locat ope-
 vt libros typis illius excudendos perlege- rā suam Ty-
 ret de more, & ad limam reuocaret. Is ve- pographo.
 rò labor vtilissimus fuit Melanchthoni, &
 iudicium illius in bonis litteris non parum
 confirmauit. Excudebatur id temporis
 Ioannis Naucleri Chronicon, quod redi-
 gendum illi fuit in ordinem, & cum sacris
 litteris conferendum. Per hanc occasionem
 affectum induit in S. Theologiæ studium,
 & litteras sacras lectitare cœpit. Interim &
 Hebraicæ linguæ nonnullam dedit ope-
 ram: Quod vt faceret, Reuchlini cohorta-
 tione motus fuit, qui codices illi ad Hebrai-
 cæ Græcæque linguæ studium necessarios
 incumbit.

Naucleri
 Chronicō
 examinat.
*VVitt b. 3.
 Mel. Ad. Si-
 lesius in vit.
 Mel. p. 186.
 Theolog.
 & Hebrai-
 cæ linguæ*

ANNO
1517.
III.

suppeditauit, & eidem typographo librum suum de verbo mirifico dedit excudendum.

Electoris
litteræ ad
Reuchlinū
Camer. fol.
24.25.

Sub hoc tempus Fridericus Elector Saxonix multum laborabat, vt Vniuersitas, quã, anno 1502. VVittenbergæ primum erexerat, in omni studiorum genere floreret. Desiderabat verò græcæ linguæ professionem: qui politioris litteraturæ studium in Academia noua feliciter excitaret: Qua de re litteras ad Reuchlinum dedit, hominem ob græcæ hebraicæque linguæ cognitionem id temporis apud omnes celebratum. Hic Melanchthoni autor fuit, vt professionem hanc in Academia VVittenbergenſi susciperet: quod cum non difficulter persuasisset, Electorem Fridericum in eâ de re per litteras certiore

Anno 1517.
Wittenber-
gam inui-
tatur.

Vitus orat.
de Mel q. 4.

fecit. Id fuit anno Christi 1517. quo Lutherus Indulgentias oppugnare cœpit, & Ecclesiæ turbandæ fecit initium.

Studium
Wirtēber-
gici in Me-
lanchth.
retinendo.
VVittēberg.
in vit. eius
b. 4.

Interim Vlricus VVirtenbergenſis Dux, cum Melanchthonem auocandum intelligeret, vt Tubingæ retineret iuuenē hunc, Ecclesiasticum illi beneficium obtulit: ad matrem quoque Melanchthonis viduam litteras dedit, monuitque vt filij animum hanc in partem flecteret. Verum ille, cum alienus esset ab Ecclesiastico vitæ genere, conditionē hanc repudiavit, & VVittenbergam, anno sequente 1518. profectus, operam suam locauit Electori, atq; in ea Vniuersitate bonas litteras, græcas imprimis, multorum cum applausu docere cœpit.

Cum

Cum Tubinga VVittenbergam proficisceretur, in itinere Norinbergam venit; ubi cum VVilibaldo Pirckheimero viro nobili, atque eruditionis nomine multum celebrato amicitiam iunxit. Venit & Lipsiam, ibique Petrum Mosellanum litteris humanioribus insigniter excultum salutavit. Dum isthic moraretur, honoris causa conuiuio fuit exceptus in Collegio quodam istius Vniuersitatis præcipuo; & magnificè quidem. Quoties enim nouum fuit appositum ferculum, prodijt vnà quispiam, qui Melanchthonem oratiuncula quadam compellauit. Ille semel atque iterum respondit pro re nata. Cum verò fercula multiplicarètur, Melanchthon, Obsecro vos, inquit, viri clarissimi, patiamini me auditis orationibus cunctis ita demum semel respondere. Nam re improuisa non accessi ad toties dicendum necessaria varietate instructus: Hoc sermone factum est, vt illæ tam crebræ compellationes demum omitterentur.

Venit autem VVittenbergam ad vigesimum quintum Augusti, cum annum ætatis vigesimum secundum ingressus esset; Lutherus, cum excellenti præditum ingenio, & in litteris humanioribus diligenter versatum animaduertent, magni fecit Melanchthonem, eumq; cõtinuò partibus suis adiunxit: Quod non fuit admodum difficile; cum iuuenis esset, & iã ante iuuenili quadã temeritate lectis Lutheri lucubratiunculis satis sua sponte

ANNO 1517. & 18. Noribergã venit. Inde Lipsiam.

Ab vniuersitate conuiuio excipitur.

Anno 1518.

IV.

Wittenbergam venit. A Luthero fascinator. Luth. tom. 1. ep. pag. 82 b. ad Spalat. Vitus R. 1.

ANNO
1519.
Fastidit
scholasti-
cos Theo-
logos.

istuc propenderet. Igitur professionem suam ad eum modum obiuit, vt cum litteris humanioribus Theologiæ Lutheranae studium coniungeret, & studiosos auocaret à lectione scholasticorum Theologorum, quos ipse velut barbaros fastidiebat.

Anno 1519.
Ad Lipfici
certamen
abit.
*Vide in vit.
Luth. Vi-
tus Orat.
de Melanch.
v. l.*
Eccium
perstringit.

Anno sequente 1519. cum Lutherus & Carlstadtius mense Iulio Lipsiam proficiscerentur, vt de dogmatibus quibusdam contro- uerlis cum Ioanne Eccio in arenam descēderent, Melanchthonem duxerunt secum: qui cum ex disputationis illius successu VVittenbergensium honori metueret, simulatque conclusa fuit disputatio (quod tandem decimoquinto Iulii die factum est) epistolam scripsit ad quendam Lutheranae factionis anony- mum, quæ statim typis diuulgata fuit. In ea perstringit Eccium paulò liberius, eiusq; in disputando vehementiam, tum dicta que- dam parum benignè interpretatur. Effudit Melanchthon epistolium hoc præcipitanter, iuuenili quodam impetu concitatus, scilicet vt consuleret autoritati suorum VVittenbergensium, & famam anteuerteret, quæ constanter Eccio victoriæ palmam tribue- bat. Vidit, priusquam Lipsia discessit, Eccius epistolium istud, editoque scripto valdè bre- ui, quod vigesimoquinto Iulii conceptum fuit, ad ea respondit, quæ Melanchthon ob- iecerat: quæ ille veluti grammatellū ad scho- lasticos pulueres ablegat, parū asserens ido- neum, cum quo Theologus de re Theologica
congre-

Melanch-
thon gram-
matello si-
milis.

congregiatur. Expleuerat vigesimum secū-
dum ætatis annum, cum Eccium fugillaret
Melanchthon. Itaque temeritatem imprimis
& iuuenilem arrogantiam in eo reprehendit
Eccius, quod cum grammaticus esset & iu-
uenis, nec causa hæc ad ipsum pertineret, iu-
diciis vsurparit officium, & sententiam velut
pro tribunali sedens pronunciarit. Parisien-
ses, ait, delectos esse iudices vtriusque partis
cōsensu, qui suo tempore rationibus exami-
natis, quod æquum fuerit in hac causa sint
pronunciaturi.

Offensus hac increpatione Melanchthon,
cōtinuò scriptum apologeticum emisit, quo
se factumque suum tuetur, vt potest. Impri-
mis vero S. Patres in hoc scripto iuuenili te-
meritate reuocat ad censuram, eosque dum
scripturas explicant, variare sententias asse-
rit, & affectu raptos in sensum impertinen-
tem, liberrimè sacris litteris abuti. Quin &
frequenter eos errare dicit. Quæso, inquit,
quoties lapsus est Hieronymus? quoties Au-
gustinus? quoties Ambrosius? Nec enim tam
ignoti mihi sunt, vt non hoc liberè aufim di-
cere: Imò fortasse notiores aliquãto sunt mi-
hi, quam Eccio suus Aristoteles. Hæc Me-
lanchthon, vt dilueret obiectam rerū Theo-
logicarum ignorantiam, seque non gramma-
ticum, sed Theologum esse demonstraret,
nec adeò crassum, quin cum theologo de re-
bus Theologicis in congressum venire pos-
sit. Cæterum, vt vindicaret, quam sibi factã

ANNO

1519.

Tom. I. op.

lat. Luth.

p. 338.

Mel. tom. 5.

declamat

pag. 278.

Parisienses

iudices

colloquii

Lipsiensis.

Apologeti-

c^o Melach.

Tom. I. oper.

lat. p. 336.

extat.

S. Patres

censuræ

subiicit.

ANNO
1519.
Poërastras
in Eccium
conciat.

putabat iniuriam, poetastrorum & litteratorum gregem in Eccium concitavit, qui contumelijs, fannis scurrilibus, & rhonchis exceptum insignem Theologum petulanter exagitarunt. Quod deinceps solene fuit istius factionis hominibus: Ut nimirum Theologis eruditione atq; pietate prestantibus, qui Lutheri machinationibus oblittebant, sese petulanter obijcerent, morionum & scurrarum instar, eosque sparsis pasquillis, famosisque libellis apud omnes in odium & contemptum adducerent: Quibus Melanchthon etiam, ut erat litterator & poeta non inelegans, primis annis sese coniunxit.

CAPUT II.

- I. Nuptias celebrat, proq; Luth. in Paris. apologiam edit.
- II. Theologus ex Grammatico factus epistolam D. Pauli ad Rom. priuatim enarrat, illustratq; comentario, cum locis communibus.
- III. Iudicium Lutheri de hoc genere comm.
- IV. A Luth. in publicum emittitur cum prefat. in SS. Patres iniuriosa.

I.
Anno 1520.
Nuptias
celebrat.

Camer. de
Mel. p. 36.

CVM autem pro insigni suo in Lutherum affectu VVittenberge pedem figere decreuisset, de vxore ducenda cogitatione suscepit. Itaq; an. 1520. 25. Nou. virginem quamdam Catharinam Crappinam Consulis VVittenbergensis filiam matrimonio sibi iunxit, eaque domum ducta, deinceps familiam alere coepit. Nondum impleuerat annum etatis vige-

PHILIPPI MELANCHTHONIS. II

vigesimum quartum cum matrimonio sese
illigaret. Quod cum factum mater ipsius in-
telligeret, offensa nonnihil viro se denuò
coniunxit, postquam annis duodecim inte-
gris ab obitu mariti vidua perdurasset, ex-
pectans nimirum, quod vitæ genus filius eli-
geret.

ANNO
1521.
Mel. de Mel.
pag. 190.

Anno deinde sequente proximo, qui vige-
simus primus fuit supra millesimū quingen-
tesimum, cum Parisienses Theologi Lutheri
doctrinam assertionibus quibusdam cõpre-
hensam more scholastico condemnassent, ac-
census zelo Melanchthon in arenam profi-
lijt, & veteranis Theologus novus maritus
iuuenili ardore concitatus petulanter insul-
tauit, edito libello, cui titulum fecit: Aduer-
sus furiosum Parisiensium theologastrorum
decretum, Philippi Melanchthonis pro Lu-
thero apologia. Hæc altera fuit in Catholi-
cos ipsius machinatio, quæ magnum illi no-
men peperit apud Lutheranos. Vnde dein-
ceps quidem, licet grammaticus esset, & hu-
maniorum litterarum professor, tamen in
rebus Theologicis iudicium illius existima-
tum fuit magni momenti.

Ann. 1521.
Edit Apo-
logiam pro
Luth. in
Parisien-
ses.

Luth. tom.
2. lat.
Vitt. pag.
202.
Mel. tom. 2.
p. 82.

Cæterum vt reipsa dilueret, quam Eccius
obiecerat rerum Theologicarum ignorantiam,
post disputationem Lipicam & sacras litteras
priuatim docere cœpit collecto discipulo-
rum cœtu; quibus epistolam D. Pauli enar-
rauit ad Romanos scriptam. Priusquam verò
eam odiretur, proemij loco communissimos
rerum

II.
Theologiã
profiteretur.

In pref. loc.
comm. I.
edit.

ANNO
1521.

Eius Loci
commu-
nes in sa-
cras litte-
ras.

Stilus ele-
gans.

rerum Theologicarum locos dictavit, methodica ratione digestos, quos Theologiae studiosis ad intelligendam Apostoli mentem v sui futuros dicebat. Hanc lucubratiunculam è discipulis quidam autore non consulto typis divulgavit: quam anno sequente 1521. reuocauit ad incudem, & additamentis quibusdam auctam denuò publicauit sub hoc titulo: Loci communes rerum theologicarum, seu, Hypotyposes theologiae. Vniuersam verò Lutheranae Theologiae summam hoc scripto complexus est, quam in eo succinctè, breuiter; & vt politioris litteraturae studiosos inescaret, stilo ad elegantiam perpolito distinctam in capita tractauit. Mirum verò, quam auidè libellus hic à Lutheranis exceptus fuerit: quem continuò Georgius Spalatinus in germanicam linguam transtulit, scilicet vt omnium etiam vulgi manibus tereatur. Placuit ijs maximè, quibus Lutheri summa intemperies & tumultuosa scribendi ratio displicebat. Licet enim Melanchthon eandè prorsus cum Luthero sententiam tuebatur, stilum tamen temperabat nonnihil ad modestiam, nec, vt ille, tanto cum impeturem gerebat. Quo factum est, vt quos Lutheri inaudita conuictiandi rabies, & canina mordacitas à nouatorum consortio deterrebat, in horum animos Melanchthon, qui mitior videbatur & benignior, elegantioris stili & blandiloquentiae cuiusdam illecebris captos, suauiter influeret. Nec dubium est, quin
hac

hac strophâ multos è litteratorum numero huic factioni conciliarit, qui humanitatis atque elegantioris stili lenocinio quodam illecti Lutheranis se partibus adiunxerunt.

Quod cum Lutherus ipse non ignoraret, Melanchthonem summis extulit laudibus, velut hominem, cum quo nec D. Thomas Aquinas scholasticorum primus, nec Hieronymus & Origines Patrum doctissimi veniant comparandi. Certè libellum hunc de locis communibus, quem ætatis anno vigesimo tertio Melanchthon cõcepisse videtur, prorsus inuictum censuit Lutherus, tantique fecit, vt non immortalitate modo, sed & Ecclesiastico canone dignum iudicaret, scilicet vt eandem haberet cum propheticis apostolicisque scriptis autoritatem. Toties verò postmodum recoctus fuit & mutatus, tot ætus incrementis, vt cum tenuis esset initio, paulatim in magnum volumen excreveret, in quo Melanchthon de summis quibusdam Christianæ fidei dogmatis, de prædestinatione, de peccato, de libero arbitrio, de sacramentis, ea iuuenis asseruit, quæ maturior & senex velut hæretica damnauit.

Cæterùm cum ann. 1520. priuatim scriptam ad Romanos epistolam explicaret, quædam in eam commentatus est, qua Lutherus, vbi vidit, planè censuit in publicum emittenda. Itaq; cum Melanchthon frequenter interpellatus non ederet hæc commentaria, Lutherus ipse typographis ea dedit excuden-

ANNO
1522.

III.

Luth. de eo
iudicium.

Lib. de seruo
arbit. contr.
Erasmum.
Seln. recit.
4. p. 62.

Loci com-
munes au-
gentur in-
dies.

IV.

Ann. 1522.
Commen-
tarius eius
in Epist. ad
Rom. à
Luth. excu-
ditur.

cuden-

ANNO
1522.

Eius præ-
fatio.

Calumniæ
eius in
S. Docto-
res.

cudenda; atq; hunc fetum addita præfatione
 Melanchthoni tanquam verò parenti dedi-
 cauit. Irascere, inquit, & noli peccare, loque-
 re super cubile tuū, & sile. Ego sum, qui has
 tuas annotationes edo, & teipsum ad te mit-
 to. Si tibi ipsi non places, rectè facis; satis est,
 dum nobis places. Ex tua parte peccatū est,
 si quid hic peccatum est. Cur non tu ipse edi-
 disti? Cur toties me frustra rogare, manda-
 re, & vrgerè passus es, vt ederes? Paulò post:
 Ego quod impij Thomistæ suo Thomæ mè-
 daciter arrogant, scilicet neminem scripserisse
 melius in S. Paulum, tibi verè tribuo. Quin
 amplius irritare volo nasutos istos, & dico
 Hieronymi & Origenis cōmentaria esse me-
 ras nugas & inneptias, si tuis annotationibus
 comparentur. Iterum post pauca: Sola scrip-
 tura, inquis, legenda est citra commentaria.
 Rectè de Hieronymo, & Origene, & Tho-
 mâ, hisq; similibus dicis. Commētaria enim
 scripserunt, in quibus sua potius, quam Pau-
 lina & Christiana tradiderunt. Tuas annota-
 tiones nemo commentaria appellet, sed in-
 dicem duntaxat legendæ scripturæ & cogno-
 scendi Christi: Id quod nullus hætenus præ-
 stitit commentariorū, qui saltem extet. Nam
 quod tu causaris, nec tibi ipsi per omnia latif-
 factū tuis annotationibus, labor est ante me,
 vt tibi credam. Sed ecce, credo, non satisfacere
 ris tibi ipsi. Neque hoc quæritur, nec petitur
 abs te: Quin volumus Paulo suam quoq; glo-
 riam saluam, ne quādo iactet aliquis, Philip-
 pum

pum esse Paulo superiorem, vel æqualem: sufficit te proximum Paulo esse. Hęc Lutherus an. 1522. 29. Julij, qui in eadem præfatione insinuat, Melanchthonem iam tum in Genesim in Matthæum, in Ioannem quædam commentatum, quæ furto se minatur ablatum, editurumque, nisi conatum hunc ipse præueniat. Quod autem tam immodicè Melanchthonem extollit, dum patribus eum præfert in vniuersum omnibus, & post D. Paulum constituit loco proximo; quin & Canone digna eum scribere definit, id prensandi causa factum est, vt hominem eximeret è cœlestium prophetarum vel Enthusiastarum fraudulētis laqueis, quos anno 1521. per Carlostadium, aliosq; nonnullos de fanaticorum grege circumuentus induerat. Ea res, quomodo gesta sit, breuiter hoc loco venit inferendum.

ANNO
1522.

Causa la-
dis tam
immodicæ.

C A P V T III.

- I. *VVittenberga noui motus & secta inter Luth.*
- II. *Missa & reliquis relig. cultus, vnaq; literarum studia abrogata, autore Carlostadio & Melancht.*
- III. *Tumultuum autoribus per Luth. repressis, restituta literarum exercitia.*
- IV. *Melanchthon in patriam abit. eius Heidelbergæ cum Nausea & inde cum Landgrauio colloqu. cum obseruato in via augurio.*

ANNO 1521. dum Lutherus VVormatiã
euocatur per Cæsarem, & postmodum in
Thu-

L.

ANNO
1522.

Fanatici
nidificant
Witten-
bergæ.

à Zvicca-
uio demē-
tatur.

Camerar.
in Mel. pag.
44. & seq.

Thuringia latitans abesset, fanatici quidam homines, quorum id temporis ferax erat Lutheranismus, VVittenbergæ nidificarūt. Horum primus erat Nicolaus quidam Pelargus, cui Marcus Zviccauius sese coniunxit tanquam præceptorī, quem vti virum Dei & prophetam venerabatur. Et Pelargus quidem passim oberrabat incertis sedibus: Zviccauius autem, qui VVittenbergæ prius studijs operam dederat, in Melanchthonis se familiaritatem insinuat, à quo & hospitio receptus fuit, & humaniter habitus. Erat is homo magni supercilij, callidus interrim & vafer, qui de apparitionibus diuinis, deque mysteriorum, quæ dicebat sacris literis abdita contineri, præcipua quadam intelligentia gloriabatur. Et quia Melanchthoni familiaris erat, factum est, vt VVittenbergæ quosdam è doctioribus, nugis suis dementatos, ad factionem istam aditingeret: Inter quos Martinus Cellarius homo non indoctus, & Andreas Bodenstein, Carlostadius primi nominis fuerunt; cum quibus & Melanchthon cōsufurravit. Nam & hic, quia curiosus erat, & iuuenis in omnem partem paulò facilius, ex hospitis sui Zviccauij quotidiano consortio Enthusiasmo nonnihil imbutus, ad nouam hanc factionem propendebat.

II.
Missa Wit-
tenbergæ
aboletur.

Sub hoc tempus accidit, vt Augustiniani VVittenbergæ Missam abolerent; idq; Lutherus quidem absente, sed conscio tamen, & non

non improbante factum; quod Electori Friederico vehementer displicuit. Quia verò ex hac suorum temeritate Princeps circumspetus maiora metuebat incòmoda, per quosdã ab Vniuersitate delectos factum hoc Augustinèsiu[m] examinari iussit, & quibus moti rationibus Missam abrogarint, ad se perscribi. Inter hos fuit & Melanchthon, qui vnà cum cæteris Missam iure censuit abolitam; atque Electori autor fuit, vt quod VVittenbergæ cœptum erat, hoc ipsum & alibi perditiones suas omnes exequeretur. Abrogata Missa, quidam longius progrediendum rati & alia nonnulla, quæ minimè placebant sub abusu[m] nomine mutanda censuerunt: Quæ res peracta fuit, auctore atque incentore Sathana; quemadmodum Lutherus ipse postmodum iudicauit. His ducem se præbebat & antesignanum Andreas Carlostadius, ad quem velut Archidiaconum rerum Ecclesiasticarum cura pertinebat; cui Melanchthon alijque nonnulli, cùm in consilium adhibiti essent, non grauatim assenserunt. Eijciebant è templis imagines; Eucharistiam laicis porrigebant manu contrectandam, antequam sumerent; mittebant & confessionem delictorum; suadebant esum carniu[m] diebus ab Ecclesia vetitis; sacerdotibus & apostatis publicè mulieres copulabãt sub matrimonij nomine: causas in foro non ex legibus Romanis dijudicari volebant, sed ex lege Mosis; ideoq; nõ suspendi fures oportere;

ANNŌ
1522.

De factō
hoc Melanchth.
iudicium.
Mel. consil. Theolog.
Ann. 1522.
Sleid. li. 3.

Carlostadij
vesania.

Chytr. in Sax. f. 280.

Eius cona-
tus & dog-
mata.

b sed

ANNO
1522.

Discipulo-
rum illius
dementia.

Colloq. Al-
zenb. in 4.
fol. 404.
Cochl. in
A8.
Surius in
comm. in
vita Luth.
cit.

III.
Reprimū-
tur Enthu-
siasia à
Luth.

Cedunt
Witten-
bergâ.

sed dupli quadruplive pœna mulctari dicti-
tabant: Gradus promotionum academicos,
philosophiam, humanas disciplinas & stu-
dia litterarum aspernabantur; nihil præter
sacra Biblia legendum asserebant; nec alio
pane vescendum, quam in sudore vultus
per manuum laborem acquisito. Hæc Car-
lostadius absente Luthero multis persuase-
rat, qui per hominem istum fascinati reli-
ctis studijs ad stiuam, ad agriculturam, ad
opificia mechanica diuerterunt. Melanch-
thon etiam à Carlostadio alijsque dementa-
tus tantum imbiberat fanatici spiritus, vt
velut ebrius vehementer nutaret. Sunt, qui
eò dementiæ progressum scribant, vt abdi-
cata professione, relictoque litterario vitæ
genere pisturam meditaretur; ne scilicet aliū
panem comederet, quam manuum labore
comparatum.

Dum ad hunc modum insaniunt & tu-
multuantur isti, Lutherus in castro VVart-
bergensi latitabat: Monitus verò per suos de
fanaticorum conatibus, deq; periculo quod
imminere videbatur ab ista factione, Princi-
pis Electoris iniussu, imò, contra volunta-
tem ipsius, VVittenbergam reuersus est sub
initium quadragesimæ, & habitis ad octi-
dium quotidianis concionibus Enthusia-
starum machinationes, facto in eos impetu
repressit; qua de re in vita Lutheri diximus.
Et quidem Pelargus, Cellarius, Carlostadius,
cū non discederent ab instituto, sed Luthero
se per-

se pertinaciter obijcerent, cedere paulatim ANNO
sunt coacti. At Melanchthon, alijq; nonnul- 1522.
li per Lutherum ab Enthusiasmo deterriti,
quicquid hauserant vertiginosi spiritus, rur-
sus euomuisse dicuntur.

Interea verò, quia malum hoc in multo-
rum animis radices egerat, nec studia floru-
erunt admodum, & à gradibus academico
more conferendis aliquamdiu cessatum fuit. Studia
Witten-
bergæ exu-
lant.

Lutherus interim, licet à reditu durius tra-
ctabat fanaticos istos, Melanchthoné tamen,
quem diligebat vnice, blandimentis quibus-
dam retinendū putauit, ne per spiritum ver-
tiginis abreptus Carlostadium sequeretur,
seque factioni cœlestium prophetarum ad-
iungeret. Nec infeliciter cecidit ista prensatio:

Melanchthon enim, posteaquam semel à fa-
naticorum consortio discessit, id genus ho-
mines porrò detestatus est, seq; Luthero ve-
lut Achatem in solidum adiunxit: quem ad-
mirabundus non vt præceptorem modo, sed
etiam vt patrem, vt prophetam & Apostolū,
vt virum Dei coluit, eumque vicissim sum-
mis laudibus euexit: vt mutuū scabunt
muli: Melanch-
thon à Lu-
thero re-
uocatur.

Quamquam hæc coniunctio perpetua
non fuit, vt infra suo loco dicemus. Cæte-
rùm turbatis eorum consilijs, qui bonas lit-
teras & philosophiam in cōtemptum addu-
xerant, Melanchthō à vesania restitutus, an-
no 1522. orationem habuit exordij loco, cum
professionem ordiretur, in qua principio
monuit studiosos, vt ad studia sese bonarum
artium Ei^s de Lu-
th. iudiciū.

monuit studiosos, vt ad studia sese bonarum
artium Studiosos
ad litteras
reuocat.

ANNO
1524.

artium diligenter adiungerent: deinde viam ostendit & rationem, quam secuti iusta capere possent studiorum incrementa. Illos verò grauitè reprehendit, qui prætextu pietatis omnes bonas litteras, omnem humanitatem contemnunt, quos feritate Vrfos, impietate verò Turcas & Epicureos superare dicit.

Ann. 1524.

Solitudo
Vniuersi-
tatum.

Quamquam verò Melanchthon à Luthero monitus resipuit; tamen au-gescente per Germaniam indices Enthusia-
starum numero, scholæ paulatim collapsæ sunt, studia viluerunt magis magisque; ar-
tes contemptui fuerunt habitæ, & in Vni-
uersitatibus alijsque gymnasijs magna fuit
solitudo. Mouit ea res Lutherum, vt an-
no 1524. Scriptum ederet ad magistratus

Luth. scrip-
tū de scho-
lis restitu-
endis.

ciuitatum in Germania, de scholis constitu-
endis, & instaurandis bonarum artium stu-
dijs: scilicet, vt à se suaque doctrina infami-
am huius contemptus remoueret. Hunc li-
bellum Melanchthon latinè redditum stu-
diosis addita præfatiuncula dedicauit, quos
sollicitè rogat, vt Lutheri iudicium secuti
humanitatis & litterarum studia magni fa-
ciant, & publicæ necessitatis causa, rem lit-
terariam strenuè tueantur: Execrandos af-
ferens modis omnibus, qui superstitione
ducti desciscant à litteris, & ignauia suæ reli-
gionem prætexant. Imò vt reipsa demon-
straret, se linguarum & bonarum artium stu-
dia, quanto possit conatu, deinceps à con-
temptu vindicaturum, ipse conscripsit artiū
præ-

*In præf. li-
belli, de
scholis Con-
stit.*

In illud
Melanch-
th præfa-
tio.

præ-

præcepta , grammatices vtriusque latinæ & græcæ , Dialectices & Rhetorices: quo factum est, vt contractam Carlostadianæ delirationis maculam paulatim elueret.

Eodem anno , quo libellus iste prodijt de scholis instaurâdis, cupido Melanchthonem incessit visendi patriam : cui se comites adiunxerunt Gulielmus Nefenus Belga, & Ioachimus Camerarius Bambergensis, quibus arctissimæ familiaritatis vinculo iunctus erat. Vbi Lipsiam venit, agonizantem reperit Petrum Mosellanum, quem eodem die, quo ciuitatem ingressus est, & salutauit cum socijs, & rebus humanis exemptum luxit. In patria moratus est aliquamdiu ; cumque rebus isthic confectis, ad suos esset rediturus, Heidelbergam venit ex itinere, vbi Hermannum Buschium poetam, maturâ iam ætate senem, iuuenis ipse salutauit : à quo perhumaniter exceptus fuit. Quin & professores Heidelbergenses Academiae nomine honorem exhibuerunt Melanchthoni, ei que studium omne suum & officia prolixè detulerunt. Offendit istic & Campegium Cardinalem, Legatum Pontificis; qui quendam è suis, Fridericum Nauseam, ad Melanchthonem misit, vt colloquium cum illo de controuersijs ingressus, quænam ipsius esset sententia, certius exploraret, eumque suauiter à Lutheri aliorumque Nouatorum consortio dehortaretur. Fecit hoc Nausea quidem; sed frustra laborauit; quandoquidem

ANNO

1524.

Præcepta humaniorum artium scribit.

IV.

Camer. in vit. Mel. fol. 95.

Patriam suam inuisit.

Ab Heidelbergensibus excipitur.

à Campegijs ad colloquium inuitatur.

ANNO
1524.

A Landgra-
uio ad ho-
spitium
inuitatur.

Melanch-
thon se ex-
cusat.

Prodigium,
deque eo
Melanch-
thonis opi-
nio.

Camer. pag.
98. 99.

Melanch-
thon augu-
riis dedi-
tus.

dem ille iam se totum Lutheri partibus ad-
dixerat. Cùm deinde ventum esset Franco-
furtum, haud procul ab vrbe Melanchthoni
occurrit Philippus Hafsiae Landgravius, acri
ac viuido ingenio princeps, qui tum quidem
vigefimum ætatis annum nondum comple-
uerat. Ibat autem Heidelbergam, ad ludicrũ
certamen quorundam principum, qui nume-
ro tredecim istic Conuerti dicebantur. Hic
per suos admonitus compellat Melanchtho-
nem, eiq; persuadere conatur, vt itinere con-
uerfo secum illa nocte permaneat; esse quæ-
dam, de quibus cum illo venire cupiat in col-
loquium. Excusat se Melanchthon, & verbis
vltro citroque commutatis, eâ conditione
dimittitur, vt de quæstionibus, quas obiter
mouerat princeps, scripto responderet.

Accidit in hoc itinere, cū ex oppido quo-
dam Hessorum Træsâ mane se daret in viã,
& cum socijs annem ciuitati vicinum pete-
ret auationis gratia, vt in colle quodam nõ
procul disito tres coruos conspicerent plau-
dentes alis, Crocitantés atque gestientes in-
star tripudiantium Quærit Nefenus ex Me-
lanchthone, quid existimet hoc augurio por-
tendi? Ille, quid aliud, inquit, quam vni ex
tribus nobis propinquam mortẽ? Erat Me-
lanchthon curiosior in his rebus, & augurijs,
somnia, tum astronomicis obseruationibus
plufculum tribuebat. Nefenus verò risit tum
quidem Melanchthonis augurium: At pau-
lõ post, cū VVittenbergam reuertissent,
in

in Albi submersus perijt. Traiecturus fluvium, animi gratia, trunco latentis arboris Scapham impegit; quæ cum vacillaret in alterum latus impulsa, Nefenum dedit præcipitem. Paulò ante, quam deambulatum exiret, à prandio paululum cõsopitus, Scapham per somnium agitari vidit, seque excussum in flumen mergi. Narravit hoc Melanchthoni priusquam egrederetur domo, ridens somniorum vanitatem; & non diu post eodem die nauigio excussum perijt, vti diximus.

ANNO
1524.

Nefenus
submergitur.

CAPVT IV.

- I. *Lutheri nuptiæ, Melanchthone Norinbergam euocato.*
- II. *Defectio Landgrauij à fide Catholica; vbi & de origine Mollium Lutheranorum & bello Sacramentar.*
- III. *Negotia Melanchthonis cum Visitatione Saxonica.*
- IV. *Iudicium & querela Lutheranorum & Catholicorum de Visitatione hac.*

ANNO deinde sequente 1525. qui Germaniæ luctuosus fuit suprâ modum, mense Maio Lutherus & Melanchthon ab Erphordiensi senatu vocati fuerunt per litteras, vt Vniuersitatem iniuria temporû penè collapsam restitueret in statum pristinum, & studia rursus excitarèt. Feruebat iam tum motus rusticanus, erantque plena tumultibus

I.
Ann. 1525.
Erphordiã
vocatur
Melanchthon.
In ep. Eob. Hessi, l. 5. f. 3

ANNO
1525.

omnia: quo factum est, ut hoc vniuersitatis restaurandæ consilium, tum quidem in aliud tempus suspenderetur.

Luth. ince-
stæ nuptiæ.

Ioan. Faber
in Ortod. st.
dei defens.
cont. Paci-
montan. fol.
61. 62.

Displicent
Melanch-
thoni.

Camer. in
vit. Mel.
p. 108.

Morsus cõ-
scientiæ
Lutheri.

Cæterum in medio armorum strepitu, adeoque in publico totius Germaniæ luctu, dum ferro, flammis, cædibus passim omnia vastabantur, Lutherus procum egit, & illicitis amoribus indulgit. Tandem mense Iunio nobilem quandam Catharinam Boræam, quæ ante biennium è monasterio Nimicensi cum alijs quibusdam noctu profugerat, sub matrimonij nomine sibi copulauit. Ea res secretò peracta fuit, paucis præsentibus ad vndecimum Iunij diem. Deinde post concubitum sub finem eiusdem mensis, postliminio nuptiale conuiuium instituit, ut incestas nuptias, & periurij turpitudinem publica sollemnitate honestoque titulo velaret. Quod ipsius factum Melanchthoni summum attulit dolorem, & reliquis etiam Lutheranis prudentioribus vehementer displicuit.

Neque verò Lutheri gaudium tam scedè lasciuientis diu sine doloris aculeo fuit. Postquam enim peractæ fuerunt nuptiæ, mæror quidam animum illius occupauit ex morsu conscientiæ, quòd cum monachus esset, voto perpetuæ castitatis adstrictus, virginem Deo consecratam cum offensione bonorum omnium incesto concubitu temerasset; atque id eo quidem tempore, cum publicus rerum status ieiunia, preces, cilicia, faccos

faccos; cineres, & cōiugatorum castimoniam ANNO
 potius, quam incestuosos huiusmodi concu- 1525.
 bitus, ad placandum diuini numinis furo-
 rem, postularer. Hæc itaque cogitatio Lu-
 therum ita turbauit, vt angorem conscien-
 tiæ, & cōceptum ex eo mœrorem animi dis-
 simulare non posset. Quod cum Melanch-
 thon animaduerneret; licet & ipse factum
 improbarer, vt diximus, dissimulato tamen
 dolore, quem ex eo ceperat, Lutheri tristi-
 tiam leuauit hilarioribus colloquijs, vt erat
 factus, & conceptum è conscientia punctu-
 ris mœrorem paulatim diluit.

Eodem anno Norinbergenses Melanch- A Melāch-
 thonem per litteras euocarunt, vt, quia sua- thone con-
 fu Lazari Spengleri Secretarij Ludum litte- solatur.
 rarium erigere decreuerant, eā in re consilio Cam. in vit.
 atque operā Melanchthonis vterentur. Ven- Mel. pag.
 nit ille Norinbergam in autumnno permissu 109. & III.
 Principis Electoris, Camerario suo comita- A Noriber-
 tus; fuitque de scholis aperiendis suscepta genibus
 deliberatio, quæ hunc exitum habuit, vt, an- vocatur.
 no sequente 1526. Melanchthon Eobanum Scholas
 Hesium poetam istius ætatis celebrem ist- ibidē con-
 huc adduceret: Huic Camerarius adiunctus stituit,
 fuit, alijque nonnulli, per quos docendi fa-
 ctum est initium.

Landgrauus Hassiæ Philippus, post bel- II.
 lum rusticum iuuenili quodam impetu di- Landgra-
 uortium fecit ab Ecclesiâ Catholicâ, seque uius deficit
 Lutheri partibus adiunxit. Antequam verò à Catholi-
 publicam religionis mutationem induce- cis.
 ret, Eob. Hess. li.
 12. ep. f. 2937

ANNO 1525. *Chytr. in Sax. fol. 338.* Ad eū Melanchthonis litteræ. ret, V Vittenbergenses in cōsilium adhibuit; Lutherum & Melanchthonem imprimis: Quos & lubens in Hassiam pertraxerit Marpurgum, vbi paulò post Vniuersitatem erexit. Melanchthon verò litteras ad Landgrauium dedit de mutanda religione deliberantem, quibus inter cætera Principem cohortatur, vt populum non de dogmatibus tantum, ijsque de rebus, quæ ad fidem pertinent, sed & de charitatis operibus, de cultu diuino, de ceremonijs informari iubeat; vt doctrinâ constitutâ ritus atque ceremonias omnes retineat Ecclesiæ veteris, quotquot seruari absque impietate possint. Sibi quidem, ait, non inutiliter modo, sed & contra caritatem facere videri, qui publicas ceremonias aboleant, quæ potuerint tolerari. Itaque Latinas cantiones, sacras vestes, & hoc genus alia; Missam quoque vnicam in singulis parochijs, & quæcunque ex veteri ritu citra piaculum tolerari possint, retinenda iudicat; nec vlllo modo prohibendum aut impediendum, quo minus horæ Canonice de Christo in monasterijs, alijsque templis decantentur.

Origo sectæ Melanchthonicæ. Hæc ad Landgrauium Melanchthon: Cuius in hac re consilium multi per Germaniâ, versus septentrionem imprimis, postea sunt secuti, qui magnam in diuino cultu rituum Catholicorum partem retinuerunt. Atque hinc originem habet Melanchthonicorum secta, vel molliū Lutheranorū, quos post bella

luna

lum Smalcaldicum Adiaphoristas appella- ANNO.
runt, quod ceremonijs quibusdam & ritibus 1525.
Catholicis locum dederint; quam ob causam
ab alijs rigidioribus & Zelotis, Flacianis ma-
ximè, proditæ veritatis accusantur. Hi certè
diuinum cultum, sacris vestibus, cereis, lati-
nis cantionibus, alijsque rebus id genus adhi-
bitis, eum in modum peragunt, vt si spectes ex-
terna tantum, Catholici prorsus esse vi-
deantur.

Postquam armis Principum repressa po- Bellum Sa-
tius, quam oppressa fuit horrenda fanatico- cramenta-
rum colluies, bellum Sacramentarium in- rium reui-
ter Lutherum & Zvinglium eorumque so- uiscit.
cios recrudit: Cuius initium anno 1524. Ie-
næ factum est; atque id pacto quidem inter
Lutherum & Carlostadium inito, quod con- Pacta inter
testatione publica, iunctis solenniter dex- Luth. &
tris, haustuque germanico, & arrabone flore- Carlostad.
ni aurei confirmatum alibi suo loco diximus.
Huic verò certamini Melanchthon ex pro-
fesso, miscere se nunquam voluit. Adhæsit
Luthero quidem, eiusque partes secutus est;
Verum adduci non potuit, vt aduersarios
scriptis publicis oppugnaret. Imò familia- Melanch-
ritatem & amicitiam cum illis coluit, qua- thon in bi-
lis inter litteratos esse solet; nec odium il- uio hæret.
lud in Sacramentarios, quo Lutherus im-
placabili prorsus & acerbissimo flagrauit,
passus est in pectus suum transfundi.

III.
Anno 1526. & 1527. præter publicas occu- Anno 1526
pationes, varijs curis & molestijs distractus & 1527.
fuit

ANNO 1526.&27 fuit Melanchthon, quibus seipsum implicuit ob negotia priuatorum quorundam; maxime verò Ioachimi Camerarij, quem inter omnes familiares vnice diligebat. In huius gratiam, tametsi affecta erat valetudine, profectioem suscepit ad Comitem Mansfeldensem Albertum, cui nomine Germaniæ Principum in Hispaniam ituro Camerarium adiungere cupiebat; tum ad aulam Saxoniam. Res erant non magni momenti, quibus curandis multum fatigabatur. Accedebat ad publicas atq; priuatas occupationes nouū orinus Visitationis cuiusdā, quæ mandatu Principis anno 1527. per Saxoniam instituta fuit; quam duo nobiles, Iureconsultus vnus, & Melanchthon humaniorum litterarum Professor, peregerunt. Vidit enim Princeps Elector, res ecclesiasticas in ditionibus suis perturbatè curari pro libidine Concionatorum, qui nec idem sentiebant de dogmatibus, nec in Sacramentorum administratione diuinoq; cultu iisdem ceremonijs vtebantur.

Saxonica
Melanchthonis
Visitatio.

Huic malo vt faceret medicinam, suosq; ad eandem doctrinæ diuiniq; cultus & rituum Ecclesiasticorum formam ordinatione publica reuocaret, Lutheri suasu visitationem hanc instituit; de qua, cum hoc anno menibus æstiuis esset peracta, Melanchthon conscripsit librum sub titulo Saxonicae visitationis: In quo missis ijs, vel potius de industria dissimulatis, de quibus tum variè disputabatur, modum de potioribus fidei capitibus

Comitatur
Camerariū
ad Mans-
feld. Co-
mit.

*Chytr. in
Sax. pag. 338*

Ei deman-
datur Visi-
tatio Saxo-
nica.

*Camerar. in
vit. Melan.
pag. 109.*

Libido vi-
uendi apud
Luth.

tibus docendi præscripsit. Ordinavit & ce- ANNO
 remonias ac ritus, quibus in Sacramentorum 1526.&27
 administratione diuinoque cultu per ditio-
 nes Electoris esset vtendum. Quin & de mo-
 ribus deque disciplina quædam inseruit ad
 refrenandam eorum libertatem & petulan-
 tiam, qui Ecclesias moderantur. Quæ omnia Promulga-
 Lutheri iudicio & Principis autoritate mu- tur.
 nita fuerunt & promulgata. Ita factum est,
 vt, reiectis Ecclesiæ Catholicæ sanctionibus,
 Lutherana Melanchthonicæque in locum
 substituerentur: Quanquam multa retinuit
 in hac visitatione Melanchthon ex ritibus
 Ecclesiæ veteris, quæ Lutherus postmodum,
 Electore rebus humanis exempto, velut Pa-
 pistica prorsus explosit. Interim Visitatores
 magnas in hoc negotio molestias experti
 sunt & difficultates, quæ Melanchthonē im- Difficulta-
 primis duriter exercuerunt. Inuenti passim, tes Visita-
 qui pastorum munere fungebantur, homi- tionis.
 nes inepti & improbi ab ingenio, monaste-
 riorum reiectamenta, futiles, inquam, & per-
 iurio infames apostatæ; quorum tribunitijs,
 vociferationibus & dissonis clamoribus per-
 strepebant cathedræ, nec aliud ferè, quam
 sannæ, conuitia, tonitrua in Pontificem, in
 Episcopos, in Papistas audiebantur; vt genui-
 nos Lutheri discipulos agnosceres. Qua de In epi. Phil.
 re Melanchthon in epistola quadam ad Cam. ad Cam.
 merarium queritur; Ego, inquit, in molestif- pag. 80.
 fimis negotijs hoc tēpore versor; & quidem “
 nullo cum fructu, quantum video. Aded “
 sunt

ANNO
1525.

sunt omnia perturbata partim inscitia docētium, partim improbitate. Horum igitur intemperiem & ferociam vt cohiberet, ita scripsit Visitationem hanc, vt non solum omitteret ea, de quibus tum maximè disceptabatur, sed & ritus quosdam Catholicos retineret, vti diximus, & disciplinæ frenum iniiceret turbatoribus istis, eorumq; licentiam in vita, in moribus cohiberet.

IV. Vnde, postquam typis diuulgata fuit hæc Visitatio, noui clamores in Melanchthonem exorti fuerunt, quasi restitutionem moliretur Pontificiæ tyrannidis, & Euangelij puritatem nouis humanarum constitutionum sordibus inquinaret. Ita nimirum inculcari pœnitentiam, timorem Dei, legis obseruantiam, & studium bonorum operum, vt quæ pridem Melanchthon ipse cū Luthero de iustificatione, de fide, de libero arbitrio, de libertate Christiana docuerat, ea nūc prorsus euertere videatur. Hac ratione ianuā aperiri, per quam Papatus denuò non difficulter irreat.

Lutheri de eâ sentētia. *Tom. 6. l. 1. germ. f. 409* Præuidit Lutherus, vt erat ingenio sagaci, oritura hæc obloquia, cum scriptam à Melanchthone Visitationem recenseret. Ideoq; in litteris ad Electorem Principem se cum Pomerano dicit legisse Visitationis acta, & paucis quibusdam mutatis probare cætera. Quod si forsā, inquit, aduersarij gloriantur nos regredi, vel rursus adrepere, id non est magnopere curandum: rumor iste paulatim conticescet. Quanquam non tam facilè con-

quie-

quieuit rumor iste, qui ex hac VVittenber- ANNO
 genfium mutabilitate fuit exortus: Imprimis 1527.
 verò in ipsum Melanchthonem, quem libri *In epist. ad*
 illius autorem esse constabat, odium obtre- *Cam. p. 113.*
 ctantium & virulentia defæuiebat: Hunc bis Melanch-
 Papistam faciebant Zelotæ quidam; per hunc thon bis
 prodi vociferabantur libertatem euangeli- *Papista.*
 cam, & quod Lutherus abstulerat seruitutis
 iugum, denuò ceruicibus fidelium imponi.
 Iam & Catholici, cum legerent Visitationem
 hanc, Melanchthonem respiscere iudicabant,
 & palinodiam meditari. Quæ causa fuit, vt *A Fabro ad*
 Ioannes Faber, datis è Bohemiâ litteris, Me- *sanã mentẽ*
 lanchthonem hortaretur, vt, deserta factio- *reuocatur.*
 ne hac pergeret, quã via cœpisset, ad sanam
 mentem, & caput in sinum Ecclesiæ reclina-
 ret: Quod si faceret, honestam illi conditionẽ
 apud Ferdinandũ Regem pollicetur. Verũm *Melanch-*
 ille substitit, nec se passus est à Luthero di- *thon perti-*
 uelli: Vt hoc scripto nihil aliud spectasse vi- *nax.*
 deatur, quam vt à Lutheri dogmatibus illam
 demeret verborũ asperitatẽ, quã multos no-
 uerat, ne se ad hanc causam adiungerent, im-
 pediri. Hanc ipse mentẽ, fuisse, testatur lit-
 teræ, quas id tẽporis ad Camerariũ scripsit; in *In ep. ad*
 quibus inter cætera, Faber, inquit, interpre- *Cam. p. 105*
 tatur me labescere, quia in libello inspectio-
 nis Ecclesiarum fuerim *twieixteq*, in quo
 tu vides nihil aliud me scripsisse, quam quod
 passim tradidit Lutherus. Et tamẽ, quia sine
 asperitate verborũ scripsi, iudicant, isti, sci-
 licet homines acuti, me dissentire à Luthero.

Igitur

ANNO 1527.&28 Igitur sectam mollium Lutheranorum, cuius fundamenta pridem iecerat in litteris ad Landgrauium scriptis, quemadmodum paulò suprà diximus, hoc scripto confirmauit.

Ibid. pag. 81 & 88.
Schola Wittenb. Ienā transfertur ob pestem. Dum in uisitatione Melanchthon occupatur, V Vittenbergē scintillare cœpit pestilentie lues: quam ob causam schola V Vittenbergensis Ienam translata fuit; quæ Thuringiæ ciuitas est ad Salam fluuium amœnissimo loco sita: In qua postmodum Vniuersitas erecta fuit. Isthic Melanchthon hæsit vnà cum alijs ex Augusto vsque ad Martium anni sequentis 1528. quo tempore, cum sopitum esse malum intelligerent, vnà cum auditoribus in Saxoniam reuerterunt.

ANNO 1528

CAPVT V.

- I. *Litteræ Oecolampadij ad Melanchthonem Spire in Comitibus commorantem, cum responso eiusdem.*
- II. *Pugna acris inter Lutheran. & Zuinglian.*
- III. *Decretum Spirense contra Protestantes fœdus cum Heluetijs inire cogitantes.*
- IV. *Colloqu. Marpurgense inter Lutheran. & Zuinglian. sine fructu.*
- V. *Melanchthon contra Sacramentarios dicta SS. Patrum publicat.*

I. **D**E certamine Eucharistico inter Lutherum & Zvinglium recrudescente diximus supra. Melanchthon autem, quamuis adhærescebat Luthero, tamen noluit illi coniungere se, vel ferre suppetias contra Zvinglianus.

Zvinglianus.

Zvvinglium in acie dimicant. Imò vehemē- ANNO
ter doluit, quod eo res adducta esset, vt, cum 1528. & 29
Euangelicos se profiterentur vtriq̄ue, mutuo
fese scriptis publicis in omnium conspectu
tam fœdè lancinarent. Erat autem in agmi-
ne Sacramentariorum inter primos Ioannes
Oecolampadius, monachus excucullatus de
Brigittanorum Ordine; qui cum Melanch-
thone ab ætate prima cōiunctissimè semper
vixerat. Hic frequenter ad eum scripsit, vt
veterem amicum vel traheret in sententiam
suam, vel concordix studium ipsi suaderet.

Eius ami-
cus OEco-
lampadius.

Agebantur Comitia Spiræ sub initium Anno 1529
anni 1529. ad quæ Ioannes Elector Saxonix Comitia
Melanchthonem secum duxit, vt eius confi- Spiræ.
lio in negotio religionis vteretur. Quod *Peucerus*
cum OEcolampadius intelligeret, litteras *tract. hist. de*
ad ipsum dedit Basileæ scriptas pridè Ca- *Mel. per*
lend. Aprilis; quibus hætenus, ait, pristi- *Reut. pag. 13*
nam se necessitudinem conseruare littera- OEcolam-
rum officijs studuisse: Nunc verò in hac padij litte-
propinquitate, nisi pericula prohiberent, ræ ad Me-
& Ecclesiæ negotia, ipsum fuisse salutatu- lancti.
rum. Nec enim in terris quicquam ipsius
colloquio sibi gratius optatiusque euenire
posse; idque hanc potissimum ob causam, vt
de rebus Ecclesiæ cum ipso fideliter ageret,
si forsàn hoc schisma per quosdam inuectum
è medio tolli possit. Interim, quia nihil hæ-
tenus ad frequentiores litteras responde-
rit, vereri se, ne paulò post ipsum amicitix
iam renunciaffe intelligat: Quanquam id

face-

ANNO
1529.

facere non possit, nisi & Christo valedicat. Rogare se admodum, vt maledicorum effrenem licentiam inter Lutheranos remoretur. Non esse tantam inter vtrosque sententiarum discrepantiam, quin inueniri possit conciliandi ratio, si modo contentiones ponantur. Certè anathematismis, exsibilationibus, ac fulminationibus nihil profici.

Responsio
Melanchthonis.

Respondet ad hanc epistolam Melancthon, Se semper OEcolampadiū amasse plurimum, & singulari quadam pietate coluisse; neque dum mutasse animum. Interim iniuriam temporum, & dissensionem de Eucharistiâ, veterem officiorum consuetudinē impediuisse quidem; at benevolentiam suâ erga

Certamen
Eucharistici
cum fabulâ
appellat.

ipsum nequaquam labefactasse. Se spectatorem huius fabulæ magis hæctenus extitisse, quam actorem: Et causas habuisse graues, cur se non miscuerit tam odioso certamini. Nullam interim vllius rei curam animum suum exercuisse magis, quam huius negotij: neque cogitasse modo, quid in vtramque partem dici possit, sed & veterum eâ de re sententias inquisiuisse; quandoquidē nolit alicuius noui dogmatis in Ecclesia, vel auctor exillere, vel defensor. Cæterùm cū omnia secum expenderit, quæ firmissima videantur in vtraque parte, non se posse, ait, Zvinglianorum sententiam amplecti; quod ipsius pace dictū velit. Nullam enim firmam inuenire rationem, quæ conscientia discendenti à proprietate verborum Christi satisfaciat. Cumque

Zvinglij
sententiam
reijcit.

pro-

proprietas verborum cum nullo fidei articulo pugnet, nullam satis magnam esse causam, cur ea deferatur. Rogare se, dicit, ut confideret, quãtam rem, quamque periculosam suscepit. Nimirum altercando veritatem amitti; quæ multò magis periclitetur in his tam violentis certaminibus. Satius esse, ut hac de re boni aliquot viri veniant in colloquium. Cogitet O Ecolampadius, homines ingeniosos & prudentes interdum labi posse. Et in negotijs spiritualibus imprimis periculosam esse ingenij fiduciam. Hæc Melancthon ex Comitijs, quæ Spiræ tum agebatur, indicta per Cæsare duas potissimum ob causas, scilicet, ut de bello Turcico propulsando deliberaretur, deq; componendo religionis dissidio, quod Lutherus eiusq; discipuli per Germaniam excitarant.

Augebatur malū istud quotidianis prope modū incrementis, & populus miserandū in modum distrahebatur. Auctores verò dissidij, qui, relicta maiorū fide, seipso à sede Romanā diuulserāt, nō ab Ecclesiā modo, sed & inter se mutuo turpiter dissidebāt. Alij enim Lutherū sequebantur, primū turbarū autorē; alij Zvingliū: Ex quibus vtriusq; tertia quedā nata est fanaticorū & Anabaptistarū turbulenta factio: Ut omnis Nouatorū exercit⁹ in tres turmas diuisus esset, quæ se mutuo nō min⁹, quā Ecclesiam odio capitali prosequerentur.

Feruebat autem sub hoc tempus cum primis inter Lutheranos & Zvinglianos

ANNŌ
1529.
Altercādo
veritas a-
mittitur.

Rationes
Comitiōrū
indictōrū.

Cam. fol. III

Tres Se-
ctariorū
turmae.

II.

ANNO
1529.
Pugna a-
cris inter
Luth. &
Zvvinglia-
nos.
Peucer. p. 12
Capita cō-
trouersa.

Vanus Lu-
theran.
metus.

Landgra-
uius Zvvin-
glio addi-
ctus.

acris pugna, vtrisque rerum suarum magno conatu satagentibus: quanquam Melancthon immiscere se noluit in illud certamen, vti diximus. Dissidebant verò de Eucharistia, de Baptismate, de peccato originis, aliisque de rebus. Et Lutherus quidem in confessione magnâ de Sacramento, quam anno superiore proximo diuulgarat, Zvvinglianos, latâ sententiâ, velut impios, blasphemos in Deum, fanaticos, hæreticos, freneticos, à dæmonibus exagitatos diris deuouerat & condemnarat. Quod cū Catholici non ignorarent, hoc imprimis egerunt in Comitibus Spirenlibus, vt Saxo, Landgravius, cæteri; Lutherani Principes, Lutheri iudicium secuti, sese disiungerent ab hominibus tam impijs, eosque velut Ecclesiæ perduelles & hæreticos condemnarent: Quod ab illis impetrari non potuit, metuentibus nimirum, ne si publicâ professione Zvvinglianos hostiū loco mouerent, ea res Euangelio nouo, quod vtrique profitebantur, infamiæ notam aspergeret; & alij ab aliorum societate diuulsi facilius in ordinem redigerentur.

Obstabat imprimis magno zelo Landgravius, qui Zvvinglianis admodum fauebat: Ideoque hoc laborabat totis viribus, vt diffidium inter vtrosque, vel sublata, vel ad tempus seposita sententiarum discrepantiâ sopiretur. Cupuisset & Melancthon hoc ipsum fieri, verum difficultates videbat in isto negotio propemodum insuperabiles.

Nam

Nam vt discederent à sententia Lutherani ANNO
 vel Zvvingliani sperare non poterat : vt au- 1529.
 tem solida fieret coniunctio , vtrisque mor-
 dicus opinionem suam tenentibus , frustra
 videbat expectari. Ne tamen damnarentur
 Zvvingliani, tum quidem à Landgrauio per-
 suasus, impediuit; quod eos nondum auditos
 esse diceret, nec causam legitimo iudicio dis-
 cussam. Interim ferre non potuit, vt cū Lu-
 theranis quodam societatis nexu coniunge-
 rentur. Hæsit itaque perplexus admodum &
 anxius , velut inter saxum & sacrum quod
 aiunt, eosque nec pro socijs haberi voluit,
 nec in hostium numero censer. Landgravius
 verò , vt erat iuuenis vehementis ingenij, &
 totus ardebat rapido quodã nouitiæ religio-
 nis affectu, tentandū putauit, an possent vtri-
 que sententijs inter se collatis in eosdē can-
 cellos redigi. Itaq; solutis Comitijs, hoc eo-
 dem anno, sub Autumnum ductores vtriusq;
 partis præcipuos Marpurgum euocauit ; qua
 de re paulò infra dicemus.

Interim decretum fuit in Comitijs, vt qui
 per Germaniam in religione nihil hæcenus
 mutarint, deinceps quoq; nihil innouent vs-
 que ad Concilii tempus: Qui verò doctrinæ,
 rituumq; mutationem induxerint, nec resti-
 tuere possint abrogata sine motu publico , ij
 nihil mutant in posterum , donec causa hæc
 in Cócilio discussa sit atq; definita; vt nec Sa-
 cramãtariorum dogma recipiatur à quoquã,
 nec Missa vsquam abrogetur; vt Anabaptistæ

Landgra-
 uius medi-
 tatur cõcor-
 diam inter
 Luth. &
 Zvvinglia-
 nos.

III.
 Sleid. lib. 6.
 Decretum
 de mutati-
 one reli-
 gionis.

De dogma-
 tis Sacra-
 mentario-
 rum.



ANNO
1529.

Protestatio
Principum
contra De-
cretum.

Cogitant
foedus ini-
re cum Hel-
uetijs.

Melanch-
thonis per-
turbatio.
*In ep. ad
Cam p. 124*

in erroribus obstinati capite plectantur; ut Euangelium doceant, Ecclesiarum ministri iuxta probatam ab Ecclesiâ interpretationem, controuersijs ad synodi cognitionem reiectis; ut pacem inter se colant Ordines, nec quisquam alteri molestiam inferat religionis nomine. Decretum hoc displicuit Principibus Lutheranis; cui se nequaquam assentiri publicè, & solenniter sunt protestati: Unde Protestantium societas originem habet in Germaniâ: quorum primi nominis erant Ioannes Elector Saxo, & Hasiæ Landgrauus Philippus, vigintiquatuor annorum iuuenis. Hi verò, cum sese factâ protestatione, à communi cæterorum Ordinum corpore præcidissent, nouam hanc societatem quibus possent præsidijs muniendam censuerunt. Itaque per quosdam cogitari cœptum fuit de foedere cū Heluetijs Zvvinglianis ineundo, qui coniunctionem huiusmodi cum Lutheranis Principibus cupide satis ambiebant.

Hoc verò negotium Landgrauus pro suo in Sacramentarios affectu cum primis urgebat: Quod cum Melanchthon intelligeret, vehementer fuit perturbatus, venitque in mentem illi pœnitere, quod in Conuentu, cum de Zvvinglianis ageretur, consilium separationis non suggesserit; Nec grauisissimam hanc animi perturbationem dissimulare potuit; quemadmodū epistola testatur ad Camerariū scripta, postquā è Comitijs VVittēbergā reuersus est: Ex qua istius generis quædam

dā excerpto: Non dubito, inquit, quin magno-
perè admireris, cur nihil scripserim ad te sub
exitum Comitiorū. Ego verò, mi Ioachime,
ita fui perturbatus, vt primis diebus penè ex-
tinctus sim; omnes dolores inferni oppresse-
rant me. Et infrà: Postea rescui, cupere quof-
dā cum nostris & vrbe vestrâ (Norinbergam
dicit) fœdus facere. Ibi cœpi horribiliter an-
gi: nollē enim à nobis defendi aliena. *ἐλπίς ἡ*
τῶν ὀκείων φροντίδων. Et si, an ad huius defen-
sionem fœdus expetatur, nondū planè scio:
sed dū metuo omnia, mirabiliter animo con-
sternari cœpi. Et in illa ipsâ consternatione
fensi, quantum sit vitij in quibusdam. Dole-
bā item, quod nō statim autor, vel certè sua-
sor separationis fuisset. Cogitabam occasio-
nem datam esse, per quā latius serpat *βιβήλο-*
της. Veniebat in mentem, hanc rem Imperij
& religionis mutationem afferre posse. Infi-
nita sunt, quæ me adhuc excruciant.

Cæterū tribus potissimum causis mo-
tus fuisse videtur, vt à fœdere cum Zvvin-
glianis paciscendo tã alienus esset; tum quod
iporum dogma nouum esse iudicaret, & in-
cognitum Ecclesiæ primitiuæ; tum quod ab
eius propagatione magnam Imperio cõfus-
sionem, imò & ruinam imminere persuasum
haberet; demum quod ad tuendā religionem
ciuilia pangi fœdera, tum quidē improbaret.

Postquā solut⁹ fuit Spirēsis Cōuētus, ceptū
est à quibusdā de cõponēdo dissidio cogitari,
quod de Eucharistię mysterio inter Saxones
& Hel-

Causæ alie-
nationis à
Zvvinglia-
nis.

IV.

De compo-
nendo diss-
sidio agitur.

ANNO
1529.

Landgravi⁹
sectarios
Marpurgi
ad Colloq.
euocat.

Cam. in vit.
Mel. pa. 120
Aetefigna-
ni Luthe-
ranorum &
Sacrament.

Peuc. pag.
13. 14. 15.

Landgra-
uij disposi-
tio inter
Collocuto-
res.

& Heluetios exarserat: Scilicet vt deinceps
vtrique Romanam Ecclesiam animis viri-
busque coniunctis fortiùs oppugnarent. Hoc
verò negotium Philippus Hafsia Landgra-
uius, per Sacramentarios interpellatus, præ
cæteris curæ habuit; qui primi nominis quos-
dam vtriusque sectæ Doctores Marpurgum
euocauit, facturum periculum, an cruentum
hoc dissidium componi posset. Venerunt
istuc è Lutheranis Lutherus ipse, Melanch-
thon, Ionas, Osiander, Brentius & Agricola
quidam: E Sacramentarijs verò Zvvinglius,
OEcopolampadius, Hedio, Bucerus. Voluit
autè Landgravius, vt ante congressum publi-
cū, bini & bini vtriusque partis de summâ rei
separatim colloquerentur, futurū ratus, vt ex-
peditior esset postmodū actio publica, si pri⁹
alij priuatim aliorum animos pertentarent.

Cæterum quia Lutherum & Zvvinglium
feroci atque impetuoso ingenio esse nouerat,
verebatur, si eos coniungeret, ne vel in ipso
actionis limine turbarū aliquid aut incom-
modi nasceretur. Mandauit igitur, vt OËco-
lampadius cum Luthero, cū Zvvinglio Me-
lanchthon in colloquiū veniret, quorū vterque
mansuetudinis & placidioris ingenij nomine
cōmendabatur. Nec male cefsit cōsiliū: Siqui-
dè Melanchthon Zvvingliū, Lutherū OËco-
lampadius temperie quadam & mansuetudi-
ne ita cohibuit, vt satis cōmodus esset primus
hic cōgressus; in quo bini & bini separatim,
vti diximus, de controuersis dogmatibus cō-
tulerunt.

tulerūt. Et quidē de plerisq; capitibus vtcūq; conuentum est, de peccato originali, de virtute Baptismatis, de energiâ ministerij ecclesiastici, de confessione priuatâ, alijsque nonnullis. Vnicum remansit caput de Eucharistia, quod ad publicam actionem reiectum fuit: In qua postquam Lutherus & Zvvinglius in colloquium venerunt, acris exorta fuit contentio. Ea verò cuiusmodi fuerit, in vita Lutheri diximus.

Sub finem actionis Sacramentarij multas SS. Patrum sententias de scripto recitarunt, excerptas in hunc finem, vt eandem esse veterum Patrum, & suâ de Eucharistia sententiam ostenderent. Obtulerunt & Lutherani dicta Patrum eundem in finem congesta, nimirum vt se prorsus idem sentire cum Patribus Ecclesiæ veteris in hac controuersia demonstrarent. Atque ita Conuentus ille solutus fuit, dogmate de Eucharistia non conciliato; quanquam eius gratia potissimum indictus erat. In discessu, cum sibi mutuò valedicerent, Lutherani Sacramentarios pro fratribus agnoscere prorsus recusarunt; tametsi Zvvinglius hoc ipsum instanter, etiam profusis vbertim lacrymis à Luthero peteret. Melanchthon verò paulò post de hoc colloquio litteras dedit ad Electorem Saxonem, eique breuiter totam rei gestæ seriem perscripsit.

Cæterum que Lutherani sub finem actionis Sanctorum Patrum dicta recitarunt, ea

ANNO
1529.
Dogma
Eucharisti-
cum ma-
ner cōtro-
uersum.

Dicta SS.
Patrum in
vtramque
partem al-
legantur.

Sacramen-
tariorum
votum de
agnoscēdis
fratribus.
Seln. contr.
Pezel. f. 78.

V.

ANNO
1530.

Ann. 1530.

Melanch-
thon dicta
55. Patrum
contra Sa-
cramenta-
rios typis
mandat.

Lauat. hist.

Sacr. p. 20.

Melanchthon congeffit: quæ non diu post, ubi domum redijt, anno sequente 1530. typis diuulgata fuerunt. Præmisit autem epistolam ad Fridericum quendam Miconium, in qua manifestum esse dicit ex his testimonijs, quod Patres Christum in Eucharistia verè præsentem esse crediderint. Ecclesiam verò communiter hoc sensisse, quod Patres litterarum monumentis prodiderunt: Nec tutum esse, à communi sententiâ veteris Ecclesiæ discedere. Ego, inquit, nouum dogma, quod maximam ruinam rerum maximarum secum trahit, sine firmioribus testimonijs non velim profiteri. Graue est enim, sustinere conscientiam tantæ discordiæ. Meo quidem iudicio, magna est temeritas, dogmata serere, non consultâ Ecclesia veteri. Hæc in præfatione: In fine verò, posteaquam ad quendam Augustini locum respondit à Gratiano citatum, qui Sacramentarijs in speciem fauere videbatur, Lectorem admonet, nullam se rationem inuenire satis firmam, cur sit ab hac Patrum sententia discedendum. Fieri potest, inquit, vt alia sententia (Zvvinglianorum) blandiatur otioso animo, quæ est magis consentanea humano iudicio; præsertim sic instructa, & ornata argumentis eruditè cogitatis. Sed quid fiet in tentatione, cum disputabit conscientia, quam habuerit causam dissentiendi à recepta sententia in Ecclesia? Tunc ista verba: Hoc est

cor-

corpus meum; fulmina erunt. Quid his op-
 ponet mens perterrefacta? Quibus scriptu-
 ris, qua voce Dei muniet se, ac sibi persua-
 debit, necessario fuisse hic interpretandam
 metaphoram? Non satis periti videntur ho-
 rum certaminum illi, qui tam facile ferunt
 noua dogmata; qui sic delectantur ingenio,
 vt magis admirentur vafre cogitatas ratio-
 nes, quam verba scripturæ. Ego scio quam
 leuiter in tentatione excutiantur nobis è ma-
 nibus rationes illæ dissentientes à scriptura,
 quantumuis antea visæ plausibiles. Et accidit
 hoc in ista controuersia magis, quam in alijs;
 quæ vniuersæ Ecclesiæ, ac toti Imperio mi-
 natur horribilem mutationem. Et infra:
 Nullus locus scripturæ proferri potest, qui
 testetur, Christum non esse in cœna, qui
 cogat interpretari verba Cœnæ allegoricè:
 Nec vsus Ecclesiæ veteris cogit ea interpre-
 tari allegoricè. Tantum repugnat verbis ab-
 surditas, quæ impingit in iudicium rationis.
 Hæc non est satis magna causa, vt à verbis
 discedamus. Verba sunt Melanchthonis, quæ
 recensui hætenus: Ex quibus liquidum
 est, quæ de Eucharistiæ Sacramento sub hoc
 tempus illius fuerit sententia; quam eodem
 anno, cum in Comitijs Augustanis Protestan-
 tium Confessionem scriberet, inter eius articu-
 los retulit, ijs verbis explicatâ, vt in Eucha-
 ristia sub speciebus panis & vini verum Chri-
 sti corpus, verumq; sanguinem adesse atq; ex-
 hiberi dicat, & damnet secus docetes, Sacra-
 menta-

ANNO

1530.

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

Melanchr.
 sententia de
 Eucharis-
 tia.

ANNO
1530.

44 VITA ET RES GESTAE

mentarios scilicet, Svvencfeldianos & Anabaptistas. Quamquam sequentibus annis, etiam viuente adhuc Luthero, posteaquam cum Caluino cœpit habere cōsortium aliam mentem induit, & in hoc capite Sacramentariorum partibus accessit: qua de re infra suo loco dicemus.

CAPVT VI.

- I. *Confessio Lutherana Augustæ, Cæsari oblata, & per Catholicos confutata.*
- II. *Collatio inter Catholicos & Protestantés ibid. sed irrita.*
- III. *Melanchthonis maximus moror & tristitia, eiusque origo.*
- IV. *Sententia Melanchthonis de iurisdictione Episcopis restituenda, &c. cum aliquot ep. ad diuersos.*
- V. *Lutheranorum querela contra Melanchth. cum literis spurcissimis Lutheri ad Spalatin.*

I.
Comitia
Augustæ.
*Vide auth.
cit. ad hunc
ann. in vita
Luth. locis
citat.
Melanch-
thon Augu-
stam comi-
tatur.*

FVIT, hoc anno 1530. Conuentus principum & Ordinum lōgè celeberrimus Augustæ Vindelicorum ad componendum in Germania religionis dissidium indictus, ad quē Ioannes Elector Saxonæ Melanchthonem secum adduxit, & præter hunc primi nominis aliquot Lutheranæ sectæ concionatores. Lutherum verò, ne Cæsarem grauius offenderet, in itinere Coburgi manere iussit, qui hæsit isthic in arce principis toto Comitiorum

tiorum tempore. Cæterum in his Comitij ANNO
Lutherani principes, & ciuitates quandam 1530.
Cæsari Confessionem obtulerunt nouitiæ re-
ligionis, quam abiecta maiorum fide, Luthe-
ri ductum secuti, non ita pridem susceperunt.
Eam confessionem Lutherus Torgæ conce-
pit primum, vel delineauit potius in septen-
decim articulos distinctam; Melanchthon
verò postea mutato nonnihil articulorum
ordine, quibusdam etiam additis perpoliuit.

Confessio
Cæsari of-
fertur.

Factum hoc est Augustæ, priusquam Co-
mitiorum fieret initium; Nam Saxo cum suis
maturius illuc venit, quam Cæsar, Ferdinā-
dus, & cæteri principes: Vnde Melanchthon
occasionem habuit, vt per otium paulò ali-
ter disponeret Lutheranæ confessionis arti-
culos, eosque fufius & accuratius pertracta-
ret. Quod dum fecit, fastidij nonnihil & mo-
lestiæ perferendum fuit, propterea, quod &
reliqui Lutherani tam principes quam ciui-
tatum moderatores suas confessiones in me-
dium proponerent, quæ Melanchthoni, dum
Confessionem adornaret offerendam Cæsari,
magno cum tædio perlegendæ fuerunt om-
nes, & ad censuram reuocandæ. Cùm enim
hæc Comitia per Cæsarem ad componendum
de religione dissidium indicta non ignora-
rent, singuli principes, & magistratus vrbiũ
concionatoribus suis in mandatis dederant,
vt doctrinæ summam per capita digestã scri-
pto complecterentur. Hinc natæ sunt variæ
cõfessiones istæ, quas diximus, quæ Melanch-
thoni

Confessio-
nis compi-
lator Me-
lanchthõ.

thoni

ANNO
1530.

thoni non sine fastidio euoluendæ fuerunt mandatu principum, & vna quædam ex omnibus illis confarcinanda, quam Casari Pro-
testantes in his Comitijs obtulerunt.

*Camer. in
vit. Mel.
pag. 131.*

Fuit autem Melanchthonis consilium, vt hæc Confessio non Principum & ciuitatum, sed concionatorum nomine in publicum referretur: Id magis iudicabat decere, quandoquidem religionis doctrinæque profiten-
dæ curam, & officium ad Ecclesiæ ministros potius aut Theologos pertinere, quam ad principes & politicos vrbiū magistratus arbitratur. Verum hoc non potuit obtineri, tum quod futurum existimaretur, vt principum nomen auctoritatem atq; splendorem huic actioni conciliaret; tum verò quod principes & magistratus supremâ Ecclesiæ curam, & potestatem constituendæ religionis, per concionatores concessam, vsurpatamque hæctenus, eripi sibi nollent.

Cur Prin-
cipum no-
mine Con-
fessio obla-
ta?

Cæterum vniuersam huius rei gestæ feri-
riem, tum quid porrò post oblatam Confes-
sionem inter Catholicos & Lutheranos in
his comitijs actum sit de religione, comme-
moratū à nobis est prolixius in vita Lutheri,
qui causam hæc, veluti suam vnus in Augu-
stano teatro per principes sibi deuinctos, &
concionatores suæ factionis tanquam emissar-
ios egisse videtur. Huic ceu Mosi cuidā Lu-
therani scribunt Melanchthonem velut Aa-
ronem alterum diuinitus adiunctum; qui nõ
solus quidē, sed inter reliquos præcipuus ex
parte

Melanch-
thō Aaroni
compara-
tus.

*Matthes. in
vita Luth.*

parte Lutheranorum, absente Lutero, totā actionis molem sustinuit. Habuit verò ad-
iunctos sibi Ioannem Brentium, Iustum Io-
nā, Georgium Spalatinū, Erardum Sneppiū,
Ioannem Agricola[m] Islebium: licet in ijs nō
multum habuit præsidi; quemadmodum ip-
se queritur in litteris 27. Iul. de comuni
rerum statu scriptis ad Lutherum, qui solus,
vti diximus, actiones omnes ac cōsilia de re-
ligione moderabatur. Quod vt faceret, datis
ad eum litteris eodem mense petijt, priusquā
actionis de conciliandis dogmatibus fieret i-
nitium. Nos, inquit, hic soli, ac despecti infi-
nitis conflictamur periculis. Oro igitur te, vt
respicias vel nos, qui certè auctoritatem tuam
in maximis rebus sequimur, vel Rempub-
licam, & non recuses legere nostras litte-
ras, & respondere; tum vt gubernes nostras
actiones, tum vt consoleres nos.

Scriptit, vti diximus, Melanchthon Con-
fessionem ipsam; quam noluerunt tamen of-
ferre principes, Saxo cum primis, nisi recen-
sitam à Lutero, & ipsius calculo probatam.
Igitur Saxo Coburgum eam misit, adiunxit-
que litteras ad Lutherum; qui cū euoluisset
Confessionem hanc, nihil in ea mutandum
iudicauit; nisi quod in exemplari latino ad
decimum articulum Sacramentariorum cō-
demnationem adiecit, his verbis conceptam:
Et damnamus secus docentes. Alioquin of-
ferendam censuit, vti scripta erat per Me-
lanchthonem, verbo non mutato, testatus se
talem.

ANNO
1530.
Duces
Colloqui.

*In ep. Mel.
f. 14. & 21.*

Melancht.
moderator
actionis.

“
“
“
“
“
“

Confessio
Augustana
Luth. da-
tur exami-
nanda:

*Marbach.
in expl. ver.
Coena ca. 6.
fol. 549.*

“

ANNO
1530.

talem in scribendo lenitatem adhibere non potuisse.

Catholicis
Theologis
datur dis-
cutienda.

Dogma
Melanch-
thon. de
Euchari-
stia.

Confuta-
tio Catho-
licorum.

Protestan-
tes admo-
nentur de
abdicandis
erroribus.

Postquam lecta fuit in concessu Principum, ac deinde Cæsari porrecta Confessio, placuit eam Catholicis quibusdam Theologis examinandam dare, & qua pugnaret cum receptis Ecclesiæ dogmatibus confutandam. Hi fuerunt Ioannes Faber Viennensis Episcopus, Ioannes Eccius, Ioannes Cochläus, alijque nonnulli; qui quosdam illius articulos, velut Catholicæ doctrinæ conformes approbarunt: Inter quos præter primum de mysterio S. Trinitatis, & decimus fuit de Cæna domini: quem ijs verbis conceperat Melanchthon, vt in Eucharistiæ Sacramento non Christum modo verè præsentem esse, sed & substantiam panis ac vini in Christi Corpus & sanguinem conuerti profiteretur. Reliquos verò articulos, in quibus hæc Confessio à probatis Ecclesiæ Catholicæ dogmatibus in diuersum abit, breuiter & solidè confutarunt, opposito scripto non admodum prolixo, sed breui neruosoque; quod fundamenta continebat dogmatum Catholicorū, è scripturis sacris, Sanctorumq; Patrum monumentis, decretis Conciliorum, & perpetua nationum atque ætatum omnium consensione desumpta. Atque hoc scriptum Cæsaris & Catholicorum Ordinū iudicio prius approbatum, eorundem nomine tertio Augusti lectum fuit in confessu publico, vnaq; moniti Protestantes, vt abdicatis erroribus ad re-

ad reliquos Ordines se rursus adiungerēt, & ANNO
ad communionem reuerterentur orbis vni- 1530.
uersi Christiani, à quo secessionem fecerint,
ad sanctam maiorum fidem, cuius funda-
menta in hac confutatione ex verbo Dei sa-
crisque litteris solidè sint demonstrata. Lu-
therani verò confutationis huius exemplum
sibi dari postularunt: Quod Cæsar non ab-
nuit quidem; conditionem tamen adiecit per
Palatinum, vt Protestantes ipsi scriptum hoc
legerent, nec typis illud diuulgari pateren-
tur, nec describi per alios, sine Cæsaribus ipsius
permisso.

Petunt sibi
dari Con-
futationē.

Cum has condiciones illi recusarent, &
pertinaciter quidem, intercesserunt tandem
è principibus nonnulli, rogaruntque Cæsa-
rem, vt ipsius voluntate periculum sibi face-
re liceret, num quæ possit inueniri ratio cõ-
ponendi dissidij, quod Protestantes à reli-
quis Ordinibus diuulferat. Assensit, vt rem-
tentarent, Cæsar, qui desiderio sopiendi hu-
ius incendij totus ardebat. Igitur delecti
fuerunt ex Ordinum senatu septendecim,
qui cum Protestantibus agerent, iisque per-
suaderent quibus possent argumentis, vt,
positis opinionibus, quibus erant imbuti,
sefe denuò cum reliquis Ordinibus coniun-
gerent, & sponte sua redirent ad commu-
nionem illius fidei, quam à maioribus vtri-
que velut per manus traditam acceperant. Hac
de re suauiter & benignè cum Protestanti-
bus actum fuit à sexto Augusti vsque ad vn-
deci-

II.
Intercedi-
tur ab Or-
dinibus.

Delecti
Ordinum.

ANNO
1530.
Ioach.
Brandeb.
facundia.

Frustra a-
gunt.

Collocu-
torum or-
do minui-
tur.

Quinde-
cim arti-
culi conci-
liati.

decimum eiusdem mensis diem. Verba fe-
cit delectorum nomine Ioachimus Elector
Brandenburgicus, princeps, si facundiam spe-
ctes, cum summis oratoribus comparandus,
cui Melanchthon ipse Pericleam eloquen-
tiam tribuit. Quanquam verò delecti mul-
tum laborabant, ut qui secesserant prote-
stantes, ad reliquos se rursus adiungerent;
fecit tamen pertinacia istorum, quos Luthe-
rus totos fascinarat, ut irritus esset hic cona-
tus.

Quando igitur hoc non successit, alia viâ
tentandum hoc negotium nonnulli censue-
runt. Delecti ex vtraque parte septem; duo
nimirum principes cum totidem Iurecōsul-
tis, & tres Theologi, qui placidè conferrent
de dogmatibus, & articulos, de quibus alia
Catholicorum erat, quam Lutheranorū sen-
tentia, dexteritate quadam inter se concilia-
rent. In hoc congressu, qui verba faceret, à
Catholicis Eccius designatus fuit, à Luthe-
ranis Melanchthon. Deinde cœptum est a-
gi decimosexto Augusti: Et initia quidem
latis auspicata videbantur; quanquam exitus
actionis asperior fuit & durior, quam
ex ingressu futurum æstimâris. Principio,
dum alij aliorum verba benignè interpre-
tantur, ita successit conciliandi studium,
ut ex articulis Augustanæ Confessionis v-
no & viginti, qui ad fidem pertinent, quin-
decim vtriusque partis assensu conciliati vi-
derentur. Nec vnquam Lutherani post
hanc

hanc actionem tam propè ad sententiam ANN^o
 Catholicorum in dogmatibus accesserunt, 1530.
 quam in hoc septenorum Colloquio factum
 accepimus. Quanquam sub finem, vbi
 ventum est ad vltimam Confessionis par-
 tem de abusibus, actio nonnihil incruidit,
 animis vtrinque zelo quodam feruescenti-
 bus.

Cæterùm vt de reliquis etiam articulis
 expeditior esset agendi ratio, visum fuit è
 re futurum, si collocutorum numerus in
 arctum denuò contraheretur. Itaque duo
 principes & totidem Theologi vtriusque
 partis ab actione fuerunt submoti, vt è sep-
 tenis collocutoribus terni modo remane-
 rent. E Catholicis Eccius, & duo Iurecon-
 sulti, è Lutheranis Melanchthon cum duo-
 bus itidem Iureconsultis. Hi vigesimo secun-
 do Augusti nouæ actionis fecerunt initium;
 in qua nihil amplius alij ab alijs impetra-
 runt, quam vtriq̃ue concesserant pridem,
 cùm septeni colloquerentur. Atque hæc po-
 strema fuit actio, quæ tandem post multam
 altercationem exeunte Augusto finem ha-
 buit.

Collocu-
 torum nu-
 merus ite-
 rum con-
 trahitur.

Chytr. in
 hist. Aug.
 Conf. f. 282.

In vanitatem
 laborant.

Cæterùm Melanchthon, cuius vitam
 scribimus, ab initio Comitiorum, impri-
 mis verò sub illud tempus, quo Cæsari Con-
 fessio Protestantium oblata est, tristis ad-
 modum fuit, adeoque consternatus, vt in-
 gentem animi merorem assiduis penè lacry-
 mis, & mœstis sermonibus inter suos testa-

Melancti-
 mæror.

Chytr. in
 hist. Aug.
 Conf. f. 72.
 75. 133.

ANNO
1530.
Luth. mo-
netur de
consolâdo
Melancht.

*Chytr. in
hist. Aug.
Conf. f. 138.*

*In ep. Mel.
fol. 21.*

Brentius
itidē lacry-
matur.

*Chytr. in
hist. Aug.
Confess. f. 73*
Luth. iola-
tur Me-
lanchth.

*Chytr. in
hist. f. 136.*

tum faceret. Quâ de re Ionas Lutherum non
semel per litteras admonuit, rogans admo-
dum, vt Melanchthonem animo deiectum,
datis frequenter litteris erigat, cuius ma-
iorem esse tristitiam scribit, quam vt socio-
rum consolationibus sustentari possit. Nec
ipse Melanchthon hanc animi perturba-
tionem ad Lutherum dissimulauit, vt lit-
teræ quædam testantur, quas id temporis
scripsit. Ad huc, inquit, is status fuit no-
strarum rerum, vt magnam partem tem-
poris in lacrymis hic consumpserimus.
Hæc Melanchthon vigesimo sexto Iunij,
cùm pridie oblata esset Protestantium Con-
fessio. Paulò post mense Iulio ad Luthe-
rum scribens, epistolam his verbis ordi-
tur: Versamur hic in miserrimis curis, &
planè perpetuis lacrymis. Quin & exem-
plo suo deiecit aliorum animos, Brentij
cum primis, quem plorando & ipsum plo-
rantem fecit, vt epistola testatur, quam
25. Iunij scriptam in hunc modum conclu-
dit: Brentius assidebat hæc scribenti, &
quidem lacrymans. Is iubet tibi ascribi sa-
lutem.
Fecit autem Lutherus, quod à Iona mo-
nitus fuit, & Melanchthonem frequentio-
ribus litteris erigere conatus est; sed surdo
narravit fabulam; quemadmodum in epi-
stola quadam 30. Iunij scripta, velut expo-
stulabundus eidem obijcit. Hunc verò sum-
mum animi mœrorem & admirabilem tri-
sttiam

stitionem verisimile est non aliunde, quam ex difficili conscientiae lucta provenisse. Videbat, quo zelo ferueret Catholicae religionis Caesar pijsimus, & quanto sopienti huius incendij desiderio accensus esset. Nouerat contra summam Lutheri pertinaciam & obstinationem, quem sciebat eo ingenio esse, vt Catholicis nihil prorsus concedendum existimaret. Iam verò si foedum hoc religionis dissidium in his Comitijs non componeretur, tristes videbat procellas, & ingentem rerum omnium perturbationem imminere. Hinc ille tantus angor, & insignis perplexitas Melanchthonis animum occupauit; quam procul dubio non parum auxit cogitatio de medijs componendi dissidij, cum ipse testimonio conscientiae victus, priusquam ventum est ad actionem de conciliandis dogmatibus, pacis studio Catholicis aliquanto plus concedendum iudicaret, quam socios & Lutherum velle nouerat: quod inter collegas minimè dissimulauit. Vnde in Collegio vel synedrio Lutheranorum exorta fuit contentio, reliquis facilitatem eius & mollitiem improbantibus: Qua de re Ioanas Lutherum secretò velut in aurem admonuit, cum historiam oblatæ Confessionis perscriberet. D. Philippus, inquit, optimo animo in hac causa cautè & pedetentim ambulat, & quamplurima cupit posthabere publicæ paci. Et proximè de

ANNO

1530.

Causæ tristitiæ & perplexitatis Melanchthonis.

Querelæ Lutheranorum super mollitie Melanchth.

Chytr. in hist. Conf. fol. 74.

ANNO
1530.

Imperio & iurisdictione episcoporum rixati sumus : quod apud te sic susurro.
 ” Hæc Ionas ad Lutherum sub finem Iunii Confessione iam oblata , cùm in Confessorio Lutheranorum deliberaretur , quibus in rebus cedendum esset Catholicis, quibus non esset cedendum. Ibi Melanchthon episcopis iurisdictionem censuit restituendam , & alia quædam concedenda pacis studio : quod cum cæteris vehementer displiceret , orta est , quam diximus , inter Lutheranos contentio. Neque verò cessit Melanchthon , sed in sententia perstitit immotus , quod quidem ad iurisdictionem attinet ; uti paulò post dicemus. Atque ea res , mense Julio , frequentioribus in consultatione rixis occasionem dedisse videtur. Quod cum Luthero innotuisset , litteras ad Melanchthonem exaratas tertio Augusti , quibus ad quæstionem quandam respondet de traditionibus , hoc sarcasmo claudit : Noua hic nulla ; nisi quod Augustæ Cæsari noua domus ædificatur , ut multis annis in Germaniâ commoretur : Deinde , quod sint inter nos Augustæ , Philippum , Ionam , & totum Collegium magnæ turbæ. Vale , ex eremo.

Melancht.
de iurisdictione restituendâ opinio.

Chytr. in
hist. Confess.
fol. 170.
Luth. ridiculus.

IV.

Melancht.
firmus in
opinionem

Post, ubi ventum ad colloquium , in quo de conciliandis dogmatibus inter delectos utriusque partis actum fuit , Melanchthon conscientia genijque sui ductum secutus , auctoritatem in Sacerdotes & Ecclesiæ ministros,

stros, adeoque iurisdictionem ecclesiasticam episcopis omnino restituendam iudicavit. Qua de re in scripto quodam à delectis Lutheranorum, ad vigesimum Augusti Catholicis oblato, hæc verba leguntur: Semper iurisdictionem & potestatem episcopalem pro nostra parte conseruare studemus, manifestis tamen abusibus non probatis. Curabitur autem vt debita obedientia episcopis exhibeatur & conseruetur, nempè, vt parochi & prædicatores nostri Ordinarijs locorum præsententur: Item si presbyter excessum reprehensione dignum admitterit, eum Ordinario vi episcopalis potestatis, sine vlllo impedimento corrigere licebit: Item ecclesiastica iurisdictione Episcoporum in causis, quæ ad forum ecclesiasticum pertinent, non impedietur: Item Episcopalis excommunicatio in causis ad Ecclesiasticam iurisdictionem pertinentibus non impedietur, si iuxta sacram scripturam exerceatur. Hæc Melanchthon in responsione ad media concordie per Catholicos proposita. Fluctuabat & in alijs quibusdam capitibus, veluti Catholicis assensurus; præsertim cum de Missa priuata, de Canone, de communione alterius speciei, de confessione delictorum, de cœlibatu, de votis, de ceremonijs ecclesiasticis disceptaretur; Quamquam Lutherum nouerat ijs de rebus nihil concessurum. Consenserat ille quidem in hanc ecclesiastici iuris restitutionem:

ANNO

1530.

de iurisdictione restituendâ.

Chyt. in hist. Confes. fol. 264.

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

Dogmata in quibus Melanchthon dubius.

ANNO
1530.
Luth. in-
cōstantia.

Consilium
Melancht.
in restitu-
tionem iu-
risdictio-
nis.

Luth. me-
tus & tre-
pidatio.

quemadmodum Melanchthon in litteris ad Camerarium scribit, & ad Hieronymum Ebnerum, Reipubl. Norinbergensis Consulem: At postea, cū omnes in ipsum concionatores insurgerent, resiliit ab instituto, atque omnia pacis consilia turbavit. Melanchthon verò, quod in hoc genere semel largitus erat, non reuocauit; tametsi quominus succederet ipsius consilium, importunis Lutheranorum clamoribus impeditum fuit. Alioquin si reddita fuisset Episcopis insolidum iurisdictio, Lutherani quodam Ecclesiasticæ hierarchiæ nexu certis conditionibus adhæsissent Ecclesiæ Romanæ, forsitan ad Bohemorum instar, qui sacerdotes habent à Catholicis Episcopis ordinatos. Huc sanè spectasse Melanchthonis consilium, nec ipsi Lutherani diffitentur. Cū enim hac de re fama spargeretur, mirum quanta continuò fuerit inter eos exorta trepidatio, quantus metus. Nec aliter hoc factum acceperunt zelotæ quidam, quam si defecisset ad Catholicos Melanchthon, vel hostibus arcem euangelij, Romanoque Pontifici prodidisset. Testantur hoc epistolæ quædam ab ijs scriptæ de hoc negotio, quos Melanchthon habuit inter coniunctissimos. Hi summum præ se dolorem ferebant, quod eò prolapsus esset nimio pacis studio, ut abiectum pridem Pontificiæ dominationis iugum (sic loquebantur isti) euangelicorum ceruicibus imponere denuò conaretur:

Quæ

Quæ res si succederet, actū esse de Euangelio ANNO
clamitabant. 1530.

Inter eos verò, quibus Melanchthon ar- Camera-
ctissimæ necessitudinis vinculo iunctus erat, rius Me-
Ioachimus Camerarius, vel ex primis habe- lanchthoni
batur; quem Vincentius quidam Obsopæus coniu-
datis litteris rogauit enixè, vt quæ multorum Etissimus.
fermonibus ferebantur de Melanchthonis & Chyt. in
cæterorum mollitie in concedendis ijs, quæ hist. Confes.
minimè oportuerit, certius exploraret. Aiūt fol. 308.
omninò, inquit, Obsopæus iste, si conductus Cam. in vit.
quantâ ipse voluisset pecuniâ à Papa esset, Lut. pag. 135
nunquam illius dominationem melius po- Obsopæi de
tuisset asserere. Vocant quidam Achitophe- Melanch.
lica consilia: alij, qui modestiores sunt, Era- litteræ.
smica: vt ego puto, propria illius. Nemo e-
nim aliter sentit, quam illum contrà omni-
um voluntatem, reclamantibus etiam aper-
tè quibusdam fortioribus, tamen obtinere,
quod voluerit, & conditiones proferre.

Hæc ille Camerarius, perlectis litteris, Fol. 307.
Ioannem Agricolam Islebium interpellan- Camerarij
dum censuit, qui Melanchthoni in Augusta- ad Agricol.
nis deliberationibus inter cæteros adiun- de hoc scri-
ctus erat. Hunc igitur summoperè rogat, ad- ptum.
eoque obtestatur transmissis Obsopæi litte-
ris, quas epistolæ suæ inclusit, vt se de toto
hoc negotio faciat certiolem, & quid huius
actum sit, vel concessum aduersarijs in Au-
gustano congressu, verè sine fuco perscribat. Fol. 304.
Scripserat eadem de re iam antè Sacranus Itē Sacrani
quidam ad Melanchthonem, & durius cum ad Mel.

ANNO 1530. eo expostulauerat, nouâ quadam vsus & inu-
 fitata verborum asperitate. Cum itaque re-
 ferret Illebius, quid à Camerario rogatus es-
 set, vnaque litteras ipsius ostenderet, & Ob-
 sopæanas inuolutas, respondendum putauit
 homini sui amantissimo, & quid rei esset, li-
 beriore calamo perscribendum.

Fol. 305.

Melancht.
 Camerario
 acta Collo-
 quij perscri-
 bit.

Dedit igitur ad Camerarium litteras Me-
 lanchthon ipse pridie Calend. Septemb. cum
 postrema collocutorum actio iam esset abso-
 luta, quibus omnia quæ acta fuerant in Co-
 mitijs, communicato cum ijs cōsilio, peracta
 scribit, qui simul adhibiti fuerint ad hæc ne-
 gotia: Nec ullos tum quidem hac de re fuisse
 sermones; quos primum natos ait, post-
 quam patefactum sit, quid Episcopis conce-
 datur. Hoc, inquit, malè habet scilicet quos-
 dam immoderatiores, restitui πολιτείαν Ec-
 clesiasticam: hoc interpretantur restitutio-
 nem dominationis Pontificiæ. Non ignoro,
 cur tantū abhorreant ab hoc consilio. Aegrè
 patiuntur ciuitates reduci in vrbes, illâ Epi-
 scoporum dominationē. Et sapiunt: sed quo
 ore eripiemus eis, si nobis permiserint do-
 ctrinam? Quid? quod omnia, quæ largiti su-
 mus, habent huiusmodi exceptiones, vt hoc
 metquam, ne Episcopi existiment, offerri ῥή-
 ματα ἀνιἀλφίτων. Sed quid potuimus aliud?
 Quanquam vt ego, quod sentio dicam: Vti-
 nam, vtinam possim non quidem domina-
 tionem confirmare, sed administrationem
 restituere Episcoporum? Video enim, qua-
 lem

lem simus habituri Ecclesiam, dissolutâ po- ANNO
 litiâ Ecclesiasticâ. Video postea multo in- 1530.
 tolerabiliorem futuram tyrannidem, quam
 antea vnquam fuit. Adhuc nihil adhuc con-
 cessimus aduersarijs, præter ea, quæ Luthe-
 rus censuit reddenda, re bene & diligenter
 deliberata ante conuentum. Neque ego non
 additurus eram aliquid, quasi auctarium pu-
 blicæ pacis causâ. Hæc Melanchthon ad Ca-
 merarium vltimo Augusti.

Melancht.
 ad Luth.
 epistola.
Chyt. in hist.
Conf. f. 306.

Postridie verò, Calend. Septemb. inquam,
 epistolium scripsit ad Lutherum, quo finem
 postremo colloquio tandem impositum si-
 gnificat. Inter cætera, Non credis, inquit,
 quanto in odio sim Noricis, & nescio qui-
 bus alijs, propter restitutam Episcopis iuris-
 dictionem: Ita de suo regno, non de Euan-
 gelio dimicant socij nostri. Et quidem ad
 Noricos quod attinet (sic vocat Norinber-
 genses) ij dolenter admodum tulerunt & in-
 dignè, quod eâ prouectus esset Melanch-
 thon, vt ministerium Lutheranum, & pasto-
 res, quos vocant euangelicos, Episcoporum
 iurisdictioni rursus subijceret. Itaque cum
 scriptum illud perlegissent, quod 20. August.
 Lutheranorum nomine Catholicis oblatum
 diximus, re cum concionatoribus delibera-
 tâ censuram scripserunt, quæ confestim Au-
 gustam missa fuit ad Protestantes. In eâ ve-
 rò punctim respondent ad omnia, quæ Me-
 lanchthon, contra quam ipsi faciendum iu-
 dicabant, studio concordia largitus erat.

Noriber-
 gensiū indi-
 gnatio ob
 Melancht.
 mollitiem.

Ibid. fo. 297

Eorum cen-
 sura adiun-
 cta Confes-
 sioni.

Ea

ANNO
1530.
Summa
censura.

De iurisdic-
tione gra-
uis quiri-
tatio.

Melanch-
thon cona-
tur placare
Noriber-
genes.
*Chyt. in hist.
Confess. fol.
309. 310.*

Ea ferè sunt : De religiosis vtriusque sexus in diuino cultu, & Catholicæ religionis exercitio, non turbandis : De tribus pœnitentiæ partibus agnoscendis : De Eucharistia non exhibendâ, nisi ijs, qui contriti sint, & delicta per confessionem prius expiarint : de ieiunijs, quadragesimâ, alijsq̃ue ceremonijs in cultu diuino restituendis : De festis Sanctorum, & Litanijs Catholicis in diebus rogationum instaurandis : tum illud, quod postremo loco ponunt, de iurisdictione Catholicis Episcopis in Ecclesiæ Lutheranae ministros restituenda : Quæ omnia velut Euangelio repugnantia simul, & semel improbant ; Imprimis de iurisdictione grauius quiritantur, quam Episcopis hoc scripto multo ampliorem permissam esse dicunt, quam vnquam ausi fuerint hætenus optare ; imò ampliorem, quam habuerint vnquam. Ac si vnicus hic articulus valere debeat & subsistere, nullam aiunt excogitari potuisse subtiliorem & compendiosiore viam, breui temporis spatio, Euangelium penitus delendi.

Melanchthon vbi Norinbergenses moderatione suâ, quam ἐπιείκεια appellare con-
suevit, grauius offensos intelligeret, vt eos
sibi redderet placatiores, suggessit Erasmo
cuidam Ebnero, Hieronymi Ebneri, Con-
sulis Norinbergensis filio, qui per id tempus
Augustæ morabatur, vt de negotio hoc scri-
beret ad parentem, & causam explicaret ple-
nius,

nius, quibus ipse permotus hanc concordia^{ANN} ANNO
 viam ingressus esset. Ne verò aberraret Eb- 1530.
 nerus iunior, ipse Melanchthon epistolam Scribit ad
 composuit, quam alter descriptam misit ad eosdem.
 parentem consulem. Scis, inquit, institutum “
 esse colloquium de dirimendis controuersijs “
 religionis. Mitto igitur tibi vtriusque partis “
 scripta, ex quibus historiam eius colloquij “
 magnâ ex parte cognosces: Videbis etiam, “
 quantum aduersarij nostri putauerint con- “
 cedendum esse. Et his consilijs scio Philip- “
 pum vsu esse, non tam metu periculi ac “
 publici motus, quam quod perpetuò ita sen- “
 sit, prodesse ad posteritatem, ne dissoluatur “
 prorsus Ecclesiastica politia. Et habet hu- “
 ius opinionis suæ non solum rationes ma- “
 gnas, sed & grauissimos autores. Paulò post: ^{Causæ in-}
 Quare miror, tam iniquos de eo sermones ^{uehendæ}
 spargi apud vos, quod parùm constanter de- ^{iurisdictionis.}
 fenderit has partes, & quod gratiam apud ad-
 uersarios inire cupiat. Iterum: Ignosci debet “
 his, qui videntur esse cupidiores pacis: Et “
 tamen Philippus etiam alijs rationibus mo- “
 uetur, quare restitutam Episcoporum auto- “
 ritatem velit. Etiam si omnia tranquilla e- “
 runt, tamen mira dissipatio erit Ecclesiarum “
 ad posteritatem, nisi iterum iam coniun- “
 gantur, & habeant certos Episcopos, qui co- “
 gantur diligentius curare Ecclesias, quâ olim “
 curauerunt. Hæc Ebnerus iunior, vel Me- “
 lanchthon verius sub Ebneri laruâ ad Con- “
 sulem Norinbergensem. Fuit hoc sub initium
 Septem-

ANNO 1530. Septembris, cum soluto iam colloquio de pace politicâ inter Catholicos & Protestantes vsq; ad tēpus Cōcilij variè, disceptaretur.

Scribit ad Camerariū de iurisdictione.

Ibid. fo. 309

Me!anchthon interim denuò litteras dedit ad Camerarium suum quinto Septembris, in quibus, Ego, inquit, optimo animo semper putavi ista concedenda esse. Quo iure enim licebit nobis dissoluere *ἡ ἐκκλησιαστικὴν* ecclesiasticam, si Episcopi nobis concedant illa, quæ æquum est eos concedere? Et vt liceat, certè non expedit. Semper ita sensit ipse Lutherus, quem nulla de causâ quidam, vt video, amant, nisi quia beneficio eius sentiunt se Episcopos excussisse, & adeptos libertatem minimè vtilem ad posteritatem. Qualis enim, cedo, futurus est status ad posteros in Ecclesiâ, si omnes veteres mores sint aboliti, si nulli certè sint prælides? Hæc tenus Melanchthon.

V.

Luthera-
norū que-
relæ apud
Lutherum.
*Chyt. in
hist. Confes.
fol. 311.*

Lutheri re-
sponso.

Cū igitur Lutherani passim intelligerent, prorsus ita se habere, quæ de iurisdictione Catholicis Episcopis restitutâ spargebantur, Septembri mēse Lutherū, velut vnicū libertatis Euangelicæ vindicem, in hoc cōmuni periculo tragicis clamoribus interpellarunt, quiritates rem esse desperatam; Melanchthonē & cæteros omnia prodidisse publicæ tranquillitatis gratiâ; iamq; ab illis plus periculi, quâ ab aduersarijs impendere; & maius fore negotiū in his cōpescendis, quâ in repellēdis hostibus. Hęc & id genus alia, cū Luthero per quosdam magni nominis importunè fatis &

per-

pertinaciter obijcerentur, in hæc verba tan- ANNO
dem ille prorupit: Si res ad eum modū se ha- 1530.
bet, certè diabolus insignem dissipationē in-
ter nos ipsos fecit. Igitur importunitate suo-
rū & violentiā superatus, litteras dedit tandē,
non ad Melanchthonem, cuius vnus culpā Eius ad Io-
proditam Euangelij causam omnes vocife- nā litteræ.
rabantur, sed ad Ionam, 20. Sept. scriptas; in
quibus tonitrua, fulgura, tragicosq; clamores
multorum ad se deferri scribit de rebus cō-
munibus, quasi aduersarijs omnia concedan-
tur, & res Euangelica in magnum sit discrimen adducta. Itaq; quid acciderit in hoc ge-
nere, num quid amplius sit concessum, quam Documentum actionis postulat.
postremis litteris perscripserant, postulat
edoceri. Quia verò frequentiores rixas in- Ibid. fol. 311.
ter Melanchthonem, cæterosq; fuisse no-
uerat, ad concordiam eos cohortatur. Vide-
te, inquit, ne id cōmittatis, vt inter nos ipsos
schisma oriatur. Et paulò post: Non scribo
hæc, quod opiner vos quicquam cōmissuros
esse: Sed violentia penè plus quā tragica lit- Luth. ne-
terarū, quibus me nostri flagellant, cogit etiā mini cedit.
tutissima timere. Deinceps & ego aduersa-
rijs ne p'lo quidē cedam. Demum, Sed satis
est, inquit. Ego penè rūpor irā & indignatio-
ne. Oro autem, vt abruptâ actione, desinatis
cū illis agere, vt cedatis. Hactenus Lutherus.
Cæterū frustra fuit panicus ille terror Lu-
theranorū, & summa cōsternatio, quā metus
inculsit Ecclesiasticæ iurisdictionis. Ea enim
verbo quidē, & voto Melanchthonis Episcopis
restitu-

Documentum actionis postulat.

Ibid. fol. 311.

“
“
“
“
“
“
“
“
“
“

Iurisdic-
tio
verbis non
re restituta

ANNO
1530.

restituta fuit; reipsâ nunquam fuit restituta: cum integra fieri non posset omnium dogmatum conciliatio, & Protestantes à quibusdam etiam per Melanchthonem concessis capitibus resilirent; idque ad arbitrium Lutheri, à quo rerum omnium momenta pendebant. Interim, quia scriptum illud erat

Lutherano
rum angu-
stia.

Chyt. in hist.

Conf. f. 296

Lut. litteræ

ad Spalati-

num.

in manibus Catholicorum, in quo Melanchthon de sociorum, imo & Letheri consensu iurisdictionem restituit Episcopis, vti supra diximus; difficultas enata fuit, quomodo ab eo, quod deliberatò concesserant Lutherani, saluo honore, vel sine leuitatis notâ referrent pedem. Quâ de re cum valde solliciti essent Ionas, Spalatinus, alijque qui Melanchthonem contrâ genium erant secuti, quod is Lutheri non conscio tantum, sed & iubente iurisdictionem Episcopis concedi diceret; Lutherus datis ad Spalatinum litteris hortatur, vt sint animo præsentem; inuenturum se rationem, vt ex ijs difficultatibus eos expediat. Est, inquit, aliquid manifestè (quod non facietis Christo fauente) contra Euangelium concesseritis, & ita in faccum aliquem, aquilam istam (Melanchthonem) concluderint: Veniet, ne dubita, veniet Lutherus, hanc aquilam liberaturus magnificè: Ita viuit Christus, hoc verum est. Quare nolite timere, victores iam violentiæ, ab istis bullis insidiarum: Vt res ceciderit, fortes estote, & viriliter agite.

Ibid. f. 287.

Iam & Catholici vicissim Lutheranis
com-

communionem vtriusq; speciei certis condi- ANNO
 tionibus indulgendam censuerant; idque per 1530.
 Pontificem; quâ de re Legatum Apostolicâ Catholi-
 Sedis dixerant interpellandû. De quo capite corû inten-
 Lutherus Spalatino respondet in hunc mo- tio de com-
 dū: Porrò, inquit, in isto articulo, in quo pe- munione
 titur, vt à Legato & Papâ postulemus nobis vtriusque
 concedi, quæ nobis permitttere velint, obse- speciei.
 cro te, vt Ambsdorfficè respondeas in aliquè Ibid. f. 296.
 angulum: Vt Pontifex & Legatus ipsius lin- “
 gua setan nobis detergant. Germanicè nates Spurcicies
 dixit, in uersis litteris; de qua scurruli ac tur- Lutheri.
 pissimâ phrasi veniam peto: Non mea hæc
 est, sed Lutheri spurcicies: cui hoc genus ser-
 mo familiaris admodum fuit. Quod verò se
 scribit aquilam rupto sacco liberaturum, id
 fecit Lutherus, dum iracundiâ præceps acti-
 onem abrumpi iussit: qua in re mādato ipsius
 partuerunt. Ita factum est, vt Saxo, re infectâ
 tandem ad vigesimum tertium Septemb. cum
 omni comitatu discederet.

Atq; hæc quidem breuiter commemorare
 placuit, de Melächthonis actionibus, pro se-
 ctâ Lutheranâ susceptis, in Augustano Con-
 uentu: In quo tamen multum laborauit, vt
 Lutheri causam tueretur, & per integram
 ætatem ex Maio ad Septembrem vsque ma-
 gnas molestias, sollicitudines, curas, imò &
 summos angores sustinuit, nihil aliud tamen
 ab ijs, pro quibus velut in acie sudabat, quam
 obloquia, calumnias, detractionem, odium,
 inuidiamque reportauit.

e

CA-

Protestan-
 tes re infe-
 ctâ disce-
 dunt.

ANNO
1530.

CAPVT VII.

- I. Landgravius Lutheranos cum Zuinglianis coniungere studet.
- II. Actio in scripto inter Lutheran. & Zuinglian. Augusta instituta.
- III. Bucerus Pontano Electoris Sax. Cancellario fraudulentè se insinuat, scripto sententiam suam offerens.
- IV. Noua actio inter Sacramentar. & Brentium deputatum à Lutheranis, cum scripto Melanchthonis Buceri tradito.
- V. Sacramentarij seorsim, & suà Augusta Confessionem Casari offerunt.

I. ANTEQVAM verò digrediamur ab his Landgravius patro-
nuius patro-
nus Sacra-
mentario-
rum.
Selnec. recit.
12. pag. 236.

comitijs, quædam hoc loco subiungenda veniunt, quæ Lutherani Melanchthonem Augustæ cum Sacramentarijs egisse memorant; à quibus id temporis totus erat alienus. Nam & huius factionis quidam istuc à ciuitatibus Zvinglianis missi fuerunt, qui non parum præsidij, tum quidem in Philippo Hassiæ Landgrauio habere videbantur; quanquam Saxo, cæteri que Protestantes ab eorum societate prorsus abhorrebant. Hi verò ante Cæsaris aduentum non minùs liberè quam Lutherani, publicas ad populum conciones habuerunt; & magno quidem cum multorum applausu. Inter hos primi nominis erant Martinus Bucerus, Wolfgangus Capito, Caspar Hedio, Ambrosius

Interpellatur de Concordia cum Lutheranis

ius

us Blaurerus, qui Landgravium fre- ANN^o
 quenter interpellarunt, ut perficeret 1530.

nunc, quod anno superiore Marpurgi
 cœperat opus, & Lutheranos cum Zvvin-
 glianis conciliaret. Erat Princeps ille
 perspicaci & ardente ingenio, videbat-
 que si Sacramentarij cum Lutheranis in
 eadem castra coniungerentur, id ma-
 gno futurum cum Ecclesiæ Romanæ de-
 trimento, cui quanto studio poterat, exi-
 tium machinabatur. Ad Zvvinglianos sa-
 tis propendebat à Colloquio Murpurgen-
 si: quod cum Heluetij non ignorarent, hoc
 egerunt sollicitè, datis ad eum frequenti-
 bus litteris, ut Principem hunc, antequam
 Augustam iret ad Comitiam, quoquo pacto
 ad se traducerent. Quanquam verò non suc-
 cessit ista machinatio; metuendum tamen
 videbatur, ne continuis Buceri & Capito-
 nis interpellationibus, aliorumque litteris
 expugnatus, deficeret tandem, & in partes
 aduersariorum transfiret.

Erat ipsi à concionibus in aulâ Erar-
 dus Sneppius, homo rigidè Lutheranus;
 qui post Marpurgense colloquium, perpe-
 tuam ferè cum illo luctam habuit de Eu-
 charistico negotio, multumque laboravit, ut
 Principem ab Heluetiorum societate disti-
 neret. Hic vbi cum Landgrauio venit Au-
 gustam, quod 12. Maij factum est, synedrio
 Lutheranorum adiunctus fuit: Quam na-
 ctus occasionem de Sacramentariorum

Hostis Ro-
 manæ Ec-
 clesiæ in-
 sensissimus

Ab Helue-
 tijijs pren-
 satus.

Eius auli-
 cus con-
 cionator
 Sneppius:

ANNO 1530. *Selnecc. in Recit. f. 237 238.* Luth. ad Lādgr. litteræ defugiendo Zvvingl. consortio. astutis machinationibus, deque periculo, in quo Principem suum versari nouerat, Melanchthonē admonuit; Qui rogatus à S nepio, Lutherum eâ de re fecit certio rem, rogauitq; vt vacillan tem datis litteris contra Sa cramentariorū insidias confirmaret. Ille scri bit ad Landgrauium, eumque magno affectu conquisitis rationibus, à Zvvinglianorū con sortio dehortatur. Epistola hæc Coburgi scripta fuit 22. Maij, tribus ferè septimanis ante, quam Cæsar Augustam venit.

Lādgrauij studium in concordia Zvvinglio Lutherana. Landgrauius sub id tempus vehementer laborabat, vt si controuersia dirimi planè non posset, quæ inter Lutheranos & Sacra mentarios glifcebat, dissidium tamen aliquo pacto tegeretur, & vtri que in fraternam con iunctionem ad tempus coalescerent: Quem admodum desidentes ad depellendum commune periculum, necessitatis causâ fa cto syncretismo nonnunquam in societa tem coire solent. Nec effecerunt Lutheri litteræ, vt ab hoc conciliandi studio Land grauius con quiesceret. Gerebat verò se ve luti medium inter vtrosque, qui suspenso iu dicio de re ipsâ neutris in solidum esset addi ctus; nimirum, vt hoc facilius dissidentes syncretismi glutine coniungeret. Cæte rum displicebat illi multum Lutheri duri ties, qui Marpurgi Zvvinglium anno supe riore proximo, verbis asperioribus à frater nitate reiecerat. De Melanchthone verò meliora sibi pollicebatur; quem paullo mo men.

Lutheri duritiam detestatur.

mento sperabat istuc impelli posse, vt in hac ANNO
 causâ se pro mansuetudine sua, & insigni co- 1530.
 mitate benigniorem exhiberet Zvvinglia- Melancht.
 nis, nec eos tam duriter à societate repelle- mollitiem
 ret; præsertim cum nunc à Luthero disun- amat.
 ctus esset. Et Sacramentarij quidem, Capi- Sacramen-
 to cum primis & Bucerus, hac de re cum ipso tiorum
 Melanchthone colloquium ambiebant; quod votum cõ-
 ille perpetuo defugit; siue per Saxonem grediendi
 prohibitus ne congregaretur, siue per Lu- cum Me-
 therum ipsum, siue quod suo quodam du- lachthone.
 ctu, ab insigni Buceri fraudulentia sibi me-
 tueret.

Landgravius igitur ea, de quibus collo- II.
 quendum erat, per Zvvinglianos iussit in Eorum li-
 breue scriptum redigi, quod Melanchthoni bellus obla-
 & Brentio fuit oblatum, vt expenderet ne- tus Luthe-
 gotium, ac deinde respõderent. Auctor scri- ranis eiusq;
 pti, quisquis fuit, siue Bucerus, siue Capito, summa.
 rationibus quibusdam persuadere nitebatur, *Chytr. in*
 Zvvinglianos à Lutheranis recipiendos in *hist. Confes.*
 fraternitatem, & ad subscribendam Confes- *fol. 648.*
 sionem, quã Melanchthon id temporis me- *Selnecc. in*
 ditabatur, vnà cum Protestantibus admit- *recit. f. 242.*
 tendos: controuersiam verò de Eucharistia
 reiiciendam ad Concilium, vrgendumque
 Cæsarem, vt id tandem indicetur.

Melanchthon & Brentius, vbi scriptum Lutheræ
 hoc perlegissent, datis ad Landgravium lit- norum re-
 teris 9. Iunij respondent: Non ignorare se plica.
 infirmos errore per imprudentiam implici-
 tos tolerari forsan ad tempus posse. Verum,

ANNO
1530.
Respuunt
fraternita-
tem.

Apostoli
verba de
haesiari-
chis.

Absurditas
noue Theo-
logiae.

Fides inge-
nue profi-
tenda.

vt prauorum dogmatum autores pro fratri-
bus agnoscantur, id nullo pacto committen-
dum; praesertim cum aduersarij conceptum
errorem, magnam animorum contentione de-
fendant. Paulum suscepisse Galatas quidem
in errorem abductos; At de peruersi dogma-
tis magistris, in haec verba prorupisse: Vti-
nam abscindantur, qui vos conturbant. Se-
quidem, illas conscientiam, cum ijs in frater-
nam societatem coire non posse, quorum do-
gmata non probent, cum idem Paulus peccat-
um esse iudicet, quicquid non procedat ex
fide. Nouam hanc esse Theologiam in Eccle-
sia, quae, non habitam ratione dogmatum, satis
ad salutem esse iudicet, si primum ocio, paci-
que studeamus, deinde vitam virtutibus po-
liticis utcumque ornemus: Quae si perfecta sit,
& ad bene beateque viuendum absoluta ra-
tio, multos e gentilium philosophis in Chri-
stianorum album referri oportere. Quod
auctor scripti Concilium vrgendum cen-
seat, id suo modo non abs re videri posse. At
siue in Concilio, siue extra Concilium ver-
semur, fidem ingenue profitendam, nec pro-
hibendum, quo minus prauorum dogma-
tum cursus impediatur. Zvinglianos ipsos
non expectato Concilij decreto, Papistas &
Anabaptistas persequi: Cur igitur iniuste fa-
cere censendi sint, qui falsam ipsorum do-
ctrinam extra Concilium prohibere insti-
tuant? Multum eos Augustae gloriari de pe-
cunijs, de parata manu hominum, de gentium
exte-

exterarum auxilijs. Mirum sibi videri, cum alioquin perpetuò in ore habeant charitatem, quod ad huiusmodi strophas & consilia se vertant, in quibus Christianæ charitatis, obedientiæ, & patientiæ ratio non habeatur. Quod si verum esset ipsorum dogma, non decere tamen Christianos homines ea consilia, ex quibus horrenda sit Ecclesiæ & politiæ confusio oritura. Videre se, quam tragediam machinetur Sathan: Itaque cauendum, ne quid in hac causâ temerè vel imprudenter egisse videantur.

Landgravius, perlectis his litteris, respondet prolixè satis, & Melanchthonis ac Brentij rationes diluit, quibus freti Zvinglianos à fraternitate repellebant. Durum sibi videri, ait, quod cum in reliquis fidei capitibus idem cū ipsis sentiant, ob vnius dogmatis discrepantiam reiiciantur. Sperare se, futurum vt hanc rem expendant maturius, & aliam mentem induant: Quod vt faciant, varijs rationibus persuadere conatur. Certè si dogma Zvinglianorum vi prohibeatur, armataque manu, existimare se dicit, id iniustū fore: Tum quod Christus doceat, permittendū, vt zizania crescant cum tritico, & Paulus Christum moneat quoquo pacto predicandum, siue per occasionem, siue per veritatem, tum etiā quod Lutherus initio scripserit, prohibere libros & conciones nō esse politici magistrat⁹, cui corpora fortunèq; nō conscientiæ, vel animarū gubernatio cōmissa

ANNO
1530.
Charitas
Sacramen-
tiorum
dolosa.

Landgraviij
responso.
Selnec. recit.
12: pag. 246.

Zizania cū
tritico cre-
scere debe-
re.
Lut. senten-
tia de hæ-
reticis li-
bris &c.

ANNO
1530.

De veritate
Luthera-
nismi du-
bitat.

Luthera-
norū repli-
ca.

Cōiunctio
cum Sacra-
mentarijs
qualis.

fit; tum verò maximè, quod Zvvinglianos, ait, nondum erroris esse conuictos: Neque verò quenquam citrà causæ cognitionem damnandum asserit. Se quidem, quod vera sit in hoc certamine Lutheranorum sententia, per expressum textum sine glossa certiorum reddi non posse: Auditurum tamen vtroque, & rationis suæ iudicium veræ sententiæ, Deique verbo submissurum. Rogare interim atque obtestari, vt si fieri possit vlla ratione, fraternam societatem cum Zvvinglianis ineant.

Respondent illi denuò per litteras: Non dubitare se, quin Princeps affectu planè sincero hanc causam agat, & salutem publicam spectet multarum gentium. Petere igitur denuò, quã possint humiliter, vt rationes prudenter expendat, quibus nuper se scripserint in hac causa moueri. Ijs se dicunt etiamnum inhærere, nec posse cū Zvvinglianis in hanc venire fraternam coniunctionem, quæ magno foret cum scandalo coniuncta: quandoquidem probare viderentur, & confirmare doctrinam eorum assensu suo, quam tamen coram Deo defendere vel tueri nequeant. Neque verò valdè gratum id futurum Deo, si dogma Zvvinglianum repugnante conscientia defendendum susciperent. Quod in suspicionem adducti sint apud Principem, quasi Zvvinglianorū oppressione delectentur, eam esse calumniam. Pacis enim se cupidissimos esse, & ab inquietis consilijs alienos.

De

De Zvvinglianis verò gloriari quosdam, quod ad bellum instructi sint rebus necessarijs, & parati. Rogare se principem, ne nimium festinet quærendis humanis auxilijs, quæ frequenter etiã in bonis causis frustrentur; & vt hanc responsionem clementer accipiat.

ANNO 1530.

Hæc acta sunt Augustæ, priusquam oblata Cæsari fuit Lutheranorum confessio; nec aliud spectauit in hac actione Landgravius, quam vt ad eã vnã cum Lutheranis subscribendam Zvvingliani admitterentur. Quod cum frustra machinatus esset, Bucerus, qui primarius erat huius fabulæ choragus, negotium hoc alia sibi via rursus tentandum iudicauit. Igitur mense Julio, cum Protestantium confessio iam esset in confesso principum recitata, insinuauit se in colloquium cū Gregorio Pontano, Saxonis Electoris Cancellario, ei que persuadere conatus est, Heluetios in cōtrouersia de Cœna Domini, verbis à Luthero dissidere tantum; re ipsa non dissentire. Itaque si vtri que veniant in colloquium, facile futurum dicebat, vt sublata verborum discrepantia, in eandem sententiã conuenirent: Erat Bucerus insigniter versipellis, atque huc ibat, vt Luthero absente Melanchthonem, Brentium, & reliquos Lutheranos circumuentos, instituto syncretismo, fraudulenter in societatem Zvvinglianorum inuolueret. Pontanus verò monuit Bucera, vt quæ priuatim huius generis dixe-

III.

Buceri machinæ Simonianæ.

Selnec. vbi supr. Chytr. hist. Aug.

Insinuat se apud Pontanum.

Eius intentio.

Scripto comprehendit suã sententiã.

ANNO
1530.

Ad Christi
tribunal
prouocat.

Colloquiū
Melanchr.
petit.

IV.
Brentius
cum Sacra-
mentariis
agit.

Brentius
Vbiquita-
rius.

dixerat, ea scripto complecteretur: Quod ille fecit, datis ad Pontanum 22. Iulij litteris, in quibus hoc vnum agit longo verborum circuitu, vt Lutherum & Zvvinglium reipsa conuenire, diuersis tantum vti verborū formulis persuadeat. In fine prouocat ad Christi iudicium, seque nihil dissimulare asserit, sed arcanum mentis sensum fateri; nec vnquam ab exordio huius certaminis aliter sensisse. Semper optasse, vt cum Melanchthone, alijsque viris doctis in vera simplicitate (sic loquitur) vt æquum sit in rebus diuinis fieri, de causa hac conferre liceret: Quamquam id hæctenus non potuerit impetrare. Rogat Pontanum, vt ipsius interuentu cum Melanchthone in colloquium venire concedatur.

Hoc Buceri scriptum Pontanus Melanchthoni, Brentio, cæterisque legendum dedit & examinandum. Hi verò ne concordiam minus auidi viderentur, quam Zvvingliani, re deliberata Brentio mandarunt, vt solus cum Sacramentarijs colloqueretur, idque sine causæ præiudicio, non alium in finem, quam vt ad socios omnia referret, quæ proponerentur. Venit ille, & varios cum Capitone atque Bucero sermones habuit: verum sine fructu; quod Brentius Vbiquitatis dogmæ à Lutheri scriptis polemicis haustum, Eucharistico negotio permisceret. Zvvingliani verò Melanchthonem imprimis ad colloquium inuitabant, futu-
rum

rum rati, ut ipso presentente, facilius collatis
sententijs negotium transigeretur. Ille ve-
ro, cum perspectam haberet Bucerii vafri-
tiam, colloquium recusabat: Ne tamen a-
uersari concordiam videretur, mentem
suam de hoc negotio, 25. Iulij, paucis decla-
rauit, epistolio scripto, cuius hæc erat sen-
tentia: Non recusare se colloquium, si per
occupationes liceret. Sicubi dissentiat ab
ipforum dogmatibus, id sine vlla animi a-
cerbitate fieri, & sine odio. Non videri
publicæ consultum, aut tutum conscien-
tiæ suæ, si Protestantes onerentur inuidia
Sacramentarij dogmatis, cui ipse contra
veteris Ecclesiæ autoritatem assentiri ne-
queat.

Si tamen per litteras secum velint collo-
qui, pollicetur id fore secretum, ne quod
ex eo periculum possit oriri. Zvinglium
Augustam misisse confessionem suam, in
quâ videri velit, ne verbis quidem à Lu-
theri sententia discrepare. Interim in a-
lijs quibusdam articulis eum tumultua-
ri præter rem. Videri hominem Helue-
tico quodam potius, quam Christiano
spiritu præditum, cuius impulsu tam
ferocem Confessionem scripserit. Vel-
le se magnoperè sedatam esse controuer-
siam hanc, de Cœnâ Domini; de qua
si quid illi scripserint, se quidem non
grauatè responsurum. Hæc Melanch-
thon.

ANNO

1530.

Melancht.
renuit cū

Sacramen-
tar. agere.

Sententiã
suam scri-
pto expli-
cat.

Quale col-
loquium
petat.

Zvinglii
spiritus
Helueticus.

Ad

ANNO

1530.

Sacramen-
tariorum
responsio.Discrimen
vtriusque
dogmatis
de Eucha-
ristia.Colloquiū
cum Me-
lancht. pe-
runt.Articuli
cōtrouersi
à Melācht.
conscri-
buntur.Bucerus
fraudulen-
tiae insimu-
latur.

Ad quæ paulò prolixius respondent Bu-
cerus & Capito, datis 28. Iulij litteris. Se qui-
dem, aiunt, inter Christi præsentiam in Cœ-
na, quam Zvvinglius ad fidei contemplatio-
nem reuocet; Lutherus verò realem quidem
statuat, non tamen localem, aut nullum vi-
dere discrimen, aut ita tenue, vt dum quæri-
tur, euanescat. De veritate humanitatis Chri-
sti, longius alios ab alijs dissidere; quemad-
modum ex Brentij colloquio, tum è qui-
busdam illius, aliorumque scriptis colligant;
Quamquam si remotis affectibus, vtrorumque
sententia discutatur, & hac in re de verbis
potius controuersia sit, quibus hoc mysteriū
proponi debeat, quam de re ipsa. Rogant de-
nuò quam possunt enixè, vt sui copiam Me-
lanchthon faciat ad colloquium: Venturos
se dicunt, quocunq̄ ille voluerit, & quan-
docunq̄; nec quenquam præter Sturmium;
imò si ita velint, ne ipsum quidem addu-
cturos. Has litteras cum Melanchthon ad
collegas retulisset, decretum est re multum
deliberata, non viua voce, sed scriptis cum
aduersarijs agendum. Itaque Melanchthon
conscripsit articulos quosdam, quibus breui-
ter vtriusque partis sententiam est comple-
xus, nimirum vt ostenderet, Lutheranos &
Sacramentarios non verbis modo, sed & sen-
tentijs plurimum dissidere. Insimulat autem
Bucerum fraudulentiae, quasi nebulas offun-
dat causæ huic, & quæ sit Lutheranorum sen-
tentia volens dissimulet; adeoque insidias
struat

fruat Lutheranis, & suis interim imaginationibus decipiatur. Hos articulos breuiter & concisè scriptos more Scholastico Pontano dedit, offerendos Bucero: Qui datis ad Pontanum litteris, quarto Augusti gratias agit imprimis, quod à Melanchthone respòsum impètrarit. Quanquam verò satis intellexit ex articulis istis, deprehendi strophas suas, & concordiam omninò desperatam esse; perstitit tamen in sententia, non de re, sed de phrasi tantum, deq; modo loquendi, Lutherum & Zvinglium inter se disidere. Quod cum Melanchthoni, Brentio, cæterisque, qui Auguste erant, frustra occineret, demum sub finem Augusti mensis, Lutherum ipsum pertentandum censuit: idque per litteras primum; deinde & coram viua voce; quæ res quomodo cellerit, in vita Lutheri diximus.

Atque hæc quidè Augustæ, per Melanchthonem & Brentium tempore Comitiorum acta sunt cum Sacramentarijs, qui cum se viderent à societate protestantium exclusos, suam deinde Cæsari Confessionem separatim obtulerunt. Id factum est per Legatos quatuor ciuitatum Imperialium, Argentorati, Constantiæ, Memmingæ, Lindauij, quæ Zvinglij dogmatibus adhærebant. Atque hæc Confessio, quemadmodum & prior illa Lutheranorum, mandatu Cæsaris per Catholicos Theologos opposito scripto confutata fuit, & in senatu principum reiecta.

CAPVT

ANNO
1530.

Eius re-
sponso.

Pertinacia
in dogma-
te.

In vit. Lu-
th. cap. 23. p.
416.

V.

Zvinglianorū Con-
fessio sepa-
ratim obla-
ta Cæsari.

Sleid. Laua.
& alij Osi-
and. lib. 2.
cap. 14.

A Catholi-
cis refuta-
tur.

ANNO
1530.

78

VITA ET RES GESTAE

CAPVT VIII.

- I. *Apologia Protestantium à Cæsare reiecta, cum Confessione Augustana VVittenbergæ per Melancthonem, plurimis fraudulenter vel demptis, vel additis, publicatur.*
- II. *Fraus Melancthonis detegitur cum origine Philippistarum & Melancthonicorum.*
- III. *Melancthon ob mutationem in Confessione factam, grauius reprehensus.*
- IV. *Melancthon hypocrita, Caluino familiarissimus.*

I.
Apologia
Protestan-
tium.

Vnà cum
Confessio-
ne excudi-
tur.

MELANCTHON verò, priusquam Augustà cum Saxone discessit, Apologiam scripsit Protestantium nomine, vt Confessionem à se compositam aduersus Catholicos tueretur; quam cum Cæsar in confessu principum oblatam repudiaret, VVittenbergam secum aseptavit: Vbi postmodum recensuit Apologiam hanc, & magnis incrementis auctam in publicum emittit; quæ non amarulentia tantum, & petulantia dicacitate respersa est, verum & mendacijs in Catholicos, fœdisq; calumnijs, velut emblematis quibusdam interstincta. Adiunxit verò & Confessionem ipsam, non vt Cæsari fuit oblata, sed additiunculis & mutationibus passim interpolatam, quibus iam tum ad futuras in ea mutationes secretò disposita fuit. Nec vnquam hæc Confessio lucem aspexit, verbis & sensu prorsus inter-

mera-

merata, quemadmodum per Melanchthonem Augustæ scripta primum, deinde per Pontanum nomine Protestantium in confessu recitata fuit, & Casari demum porrecta. Hanc, inquam, verbis & sensu penitus eandem Melanchthon nunquam, ne prima quidem editione in lucem retulit. Imò cum sequentibus annis recudenda frequenter esset, quod avidè passim inter Lutheranos distraheretur, nunquam ferè prodijt è calceographorum officinis, nisi quibusdã aucta novis assumentis, & mutationibus variata; quemadmodum demonstratũ est à viris doctis, & ipsa exemplarium discrepantia testatur. Qua in re leuitas non vulgaris, & inconstantia Melanchthonis apparuit, quam rigidiores Lutherani, qui se genuinos Lutheri discipulos haberi postulant, Melanchthonicis probri loco, postmodum nõ semel obiecerunt; vt ex Altenburgensi Colloquio, alijsque Flacianorum non minus, quam Maioristarum scriptis polemicis manifestũ est. Neq; verò Melanchthon verbis tantum lufit, aut phrasibus permutandis, sed & rerum atque dogmatum cardines loco mouit, & sententiam ipsius Confessionis immutauit: Quin & ijs hominibus aditum patefecit ad confessionem hanc, quos pridem Augustæ cum eam scriberet, velut impios, & indignos, consortio Protestantium abominabatur; Sacramentarijs inquam, & Zvinglianis; ad quos deinde sub ann. 1541. vel potius,

ANNO
1530.
Confessio
Augustana
perpetuò
mutata.

*And. Fab.
in har. Cõf.*

Melanch-
thonicorũ
inconstan-
tia.

*Colloq. Al-
tenb. in 4.
fol. 403.*

Confessio
à Melanch-
thonis
Zvinglianismo infici-
tatur.

vt

ANNO
1530.

vt Calvinistæ volunt, ab an. 1536. non aperte quidem professione publica, sed secreta magis inclinatione, cautim & paulatim deflexit. Itaque sicut ipse sententiam mutauit de Eucharistia, seq; dissimulanter ad Sacramentarios adiunxit; ita & calamum moderatus est in Confessione mutanda; scilicet vt secretò fenestram aperiret, per quam vel Sacramentarios introduceret, vel ipse se foras ad eos proriperet. Quod ne fortè cuiquam sine causa dictum videatur, clarius rem ob oculos defigemus.

II

ARTIC. X.
August.
Confess.

Articulus Augustanæ Confessionis decimus, vt is germanicè lectus est in senatu principum, & Cæsari in archetypo porrectus, in hunc modum habet: De Cœna Do-

- ” mini sic docetur, quod verum corpus & sanguis veraciter sub specie panis & vini in cœna præsens sit, & ibi distribuatur ac sumatur: Idcirco & rejicitur doctrina contraria. His

Tria articuli membra.

- verbis tria quædam asseruntur de augustissimo Eucharistiæ Sacramento, quæ causam præbuerunt Catholicis Theologis, Confessionem examinantibus, vt articulum hunc paucis quibusdam additis explicandi gratia, velut Catholicum probarent. Primum est, quod Christi Corpus & sanguis in Eucharistia, verè præsens sit & distribuatur: Alterũ, quod id fiat sub specie panis & vini, quæ loquendi ratio panis & vini conuersionem includit, quam Transubstantiationem appellamus: Tertium, quod qui secus de Eucharistia
- fen-

fentiunt, quales sunt Zvvingliani, Svvenckfeldiani, Anabaptistæ, velut impiè docentes condemnantur. Ex his tribus velut membris quibusdam constat articulus ipse; nimirum quod in Eucharistiâ, verè sit præsens Christus; quod panis & vini substantia in Christi corpus & sanguinem conuertatur; quod qui secus sentiunt, docentque tanquam aberrantes, à veritate reiiciendi sint & improbandi; quemadmodum Zvvingliani hanc ob causam in Comitijs à Protestantium confortio reiecti fuerunt.

Iam verò Melanchthon eundem huic articulum in posterioribus editionibus ita recoxit, mutatis quibusdam verbis, quibusdam etiam resectis, vt ambiguum fecerit, quod in primo membro protestantes velut certum asseruisse diximus: Secundum verò & tertium membrum, semel & simul è confessione sustulit. Ad primum certè quod attinet, ex eo verbum; adesse, vel præsentem esse, remouit; atque ita formauit articulum, vt cothurnum quendam ex eo fecerit, non Lutheranis modo quadrantem, qui Christum cum pane & vino verè præsentem esse dicunt, sed & Sacramentarijs ipsis, qui CHRISTI Corpus & sanguinem ab Eucharistiâ tam longè remotum asserunt, quam distat cælum à terrâ. Secundum verò membrum, de panis & vini conuersione, velut papisticum prorsus eliminavit, dum pro vocibus; sub specie panis & vini, quæ transubstantiatio-

f nem

ANNO
1530.

A Melanchthone deturpatur.

Primi membri fœda mutilatio.

Iacob. And. in con. 1. de Concord. D. 4. b.

Secundi membri eliminatio.

ANNO 1530. Item tertij membri.

nem innuunt, aliam loquendi formã substituit, Christi Corpus & sanguinem asserens cū pane & vino sumentibus exhiberi. Ad tertium illud, quo secus docentes condemnantur, totum expūxit: Quod vt faceret, necessitas ipsa, meo quidē iudicio postulauit. Cū enim ita transformaret articulum hūc, vt pallio verborum & Sacramentarios simul obuolueret, certè nisi se vellet in contradictionē implicare, condēnatio prorsus abolenda fuit atq; expungenda: Et quidem hoc ipso, quod eā aboleuit, tacens velut intēto digito causam designauit, qua permotus hoc mutandi consilium suscepit; scil. vt quos Augustæ durius à societate repulerat, eos nūc nutu niēctūque, cū palam non auderet, verbis ad ambiguitatem cōpositis, ad Confessionis consortium inuitaret; occultè quidem illud, & velut per nebulam propter Lutheri tyrannidem, suauiter tamen & benignè, vt temporum cōditio ferebat. Neq; verò Sacramentarij perniciosum hoc Melanchthonis consilium nō intellexerunt; quemadmodum historia sequētium temporum apertè testatur. Itaque decimum Augustanæ Confessionis articulum, illius Confessionis, inquam, quæ Cæsari fuit in concessu principum oblata, quod ad substantiã pertinet, Melanchthon sub emendationis vmbra totum sustulit, & quē diximus cothurnum (voce Lutheranorum vtor, hāc Melanchthonis fraudem detestātium) in locum eius substituit; quem Calvinistæ ex ip-

sius

Artic. 10.
quoad
substantiam
totus sub-
latus.

fius autoris sententia, sibi potius, quã Lutheranis conuenire plenis faucibus gloriantur.

ANNO
1530.

Atq; hinc originẽ habet in Germaniã Philippistarum Calvinizantium factio: quæ tamẽ à Melanchthonicis, de quibus supra diximus, toto cœlo dissidet. Nã Philippistæ reuertèrè Sacramentarij sunt; tametsi sub Augustanæ Confessionis umbraculo delitescant: At Melanchthonici vergunt in alterã partẽ, & ad Catholicos inclinant satis, quorum ceremonias in diuino cultu magnã partem retinuerunt: Imò, & in quibusdã doctrinæ capitibus non adeò longè disiti videntur: In quorum gratiã & articulũ de libero arbitrio per Melanchthonem in Apologiã mutatum esse, Lutherani rigidiores quiritantur. Cæterũ uterque hic fœtus Melanchthonẽ parentẽ agnoscit; quorũ posterior ex illius nomine, prior autẽ ex cognomine nomẽ accepit, ab ipsis inditum Lutheranis, qui Philippistas vt Sacramentarios laruatos, Melanchthonicos vt semipapistas, vtrosque velut hostes euangelij deterrimos abominatur. Interim vtriq;ue protocãt ad Confessionẽ Augustanã? quod confidẽter imprimis faciunt Philippistæ; cautione tamẽ addita, quod eã profiteantur in sensu Melanchthonis, quem posterioribus annis ad castra Sacramentariorum à Lutheranis profugisse non dubitanter asserũt. Huius factionis procul dubio fuerunt, Caspar Peucerus gener Melanchthonis, Christophorus Petzelius, Vrbanus Pierius, alijque nonnulli

Philippi-
starum &
Melanch-
thonicorũ
factiones.

*Iacob. And.
in 1. conc. de
Concord. D.
c. b.*

Earum au-
ctor Me-
lanchthõ.

Duces Phi-
lippist.



ANNO
1530.

VVittenbergensis Academiae professores, qui per Melanchthonē educati, VVittenbergam ipsius Lutheranismi sedem clandestinis machinationibus, velut per cuniculos occuparunt: Quanquam Augustus Elector Saxoniae, cum fraudem deprehenderet, hanc Philippistarum laruatam colluuiem, summa cum ignominia è ditionibus suis exturbauit.

III.

Rumor de
mutatio-
nibus Au-
gust. Con-
fess.

*Selnec. in
praf. ult.
Cōf. de Cœ-
na ad Sen.
Aug. A. 2. b*

Pontanus
ad Melāch-
th. ablega-
tus, eiusq;
postulata.

*Seln. recit.
4. fol. 71.*

Melancht.
à Luth. re-
prehensus.

Cæterum cum viuento adhuc Luthero de crebris illis Augustanae Confessionis mutationibus parum benignus rumor spargeretur, & Lutherani propter hanc VVittenbergensium inconstantiã malè passim audirent, Ioannes Fridericus Elector hac de causa Legatum VVittenbergam misit Georgiũ Pontanum: Qui, assumpto Luthero Melāchthonem super hoc negotio compellauit: Et quidem, vti mandatum erat, quæsiuit initio Pontanus Electoris nomine; Cur auctoritatem illam vsurparit, vt confessionem Augustanam, quæ non ipsius sit confessio, sed Ordinum Protestantium, qui Cæsari eam obtulerint, in quibusdam capitibus mutaret, ei que adderet quædam, detraheretque pro arbitrato: atque id sine scitu consensuque principis Electoris, & cæterorum protestantium? Qui publicè hanc ob causam malè audiant, quasi doctrinam profiteantur incertam & ambiguam, nec cõstantes sint in dogmatibus, quorum professionem in Comitibus Augustanis ediderint: Vnde promiscua multitudo grauius offendatur. Addit Lutherus:

Quis

Quis tibi potestatem dedit mutandi confessionem publicam? Augustana Confessio non mea iam, vel tua solius est, sed protestantium; à qua mutanda vide ut cohibeas manum. Si quid in ea sit, quod vberiore declarationem postulet, id in alijs scriptis evoluere potes atq; explicare. Melanchthon ad hunc modum exceptus, vix habuit, quod responderet; nisi posteriores editiones perpetuò reuocandas ad primam, quæ cum archetypo conueniret; nec intelligendas aliter, quam archetypi sensus pateretur. Interim se deinceps nihil mutaturum promisit. Hæc ille. Verum res iã non erat integra: Passim enim per Germaniam exemplaria volitabant, nec è manibus hominum eximi poterunt.

ANNO

1530.

“

“

“

“

“

“

Melancht. responsio.

Seln. in hist. Conf. p. 69.

Itaq; res dissimulata fuit, donec an. 1541. Ratisbonæ de conciliandis dogmatibus inter Catholicos & Lutheranos, instituta denuò fuit collatio. Ibi Melanchthoni eadem hæc inconstantia per Eccium obiecta fuit, & in mutanda confessione temeritas: quam cum purgare non posset, à collocutoribus vtriusque partis coactus restituere, promisit, quæ sustulerit; quod reuera nunquam præstitit.

In ijs verò Comitijs Calvinus, quem Bucerus Argentorato secum adduxerat, cū Melanchthone atq; Crucigero suauiter cōsursuravit, eorūq; animos, ut erat insigniter versipellis, firmo glutine sibi deuinxit, ut eos perpetuò deinceps addictos haberet. Et Melanchthon

IV.

Calvinus Melancht. familiarissimus.

ANNO
1530.

Melancht.
hypocrita.

thon quidem ab hoc colloquio benigniorem in Sacramentarios affectum habuisse videtur; quem imprimis eo tempore prodidit, cum Lutherus ultimam de Cœna Domini Cōfessionem emisit, vt suo loco dicemus. Nec dubitant Sacramentarij, quin Melanchthon, cū prius ab an. 1536. ad Sacramentarios inclinaret, sub id tempus Caluino se totum adiunxerit; tametsi mentis secretum propter Lutheri tyrannidem, de qua postea conquestum aiunt, non fuerit ausus publicè profiteri. Itaque hypocritam faciunt Melanchthonem, qui contra genium, imò reluctante conscientia vixerit quidem inter Lutheranos, sed animo totus adhæserit Sacramentarijs, eamque rem perpetuò dissimularit.

CAPVT IX.

- I. *Examen super Melanchthone, Lutheranusne an Caluimianus in extremis fuerit.*
- II. *Lutheranorum Melanchthonem sibi vendicantium rationes numero nouem.*
- III. *Caluinistarum eundem suis partibus adiungentium rationes totidem.*
- IV. *Melanchthonis inexcusabilis fraus, inconstantia, & perpetua inter Lutheranos miseria.*

I.
Quaest. I.
An Melanchthon in extremis fuerit Cal.

CAETERVM, quia in hunc sermonem incidimus, breuiter hoc loco discutiamus quaestionem illā, quæ de Melanchthone inter Lutheranos & Caluinistas hoc tempore multū agitur, scilicet, An Lutheranus fuerit

facrit extremis annis, an verò Calvinianus? Nostra sanè parum interest, cuius factionis ille fuerit, quem Catholicum non fuisse scimus: Verùm, quia res hæc ad vitam & mores ipsius cumprimis pertinet, prætereunda non erat hæc controuersia: de qua statuet quod visum fuerit Lector. Et Lutherani quidem molliores Melanchthonem sibi totum vindicant, eumque contendunt ad mortem vsq; Lutheranum fuisse; licet animo nonnūquam fortè vacillarit. Id verò his rationibus suadere conantur; Principio, Quod Bucerus & Oecolampadius ab initio certaminis Eucharistici, ad annum vsque 1529. frequenter perententarint Melanchthonis animum, eumque ad Sacramentariam factionem magno studio conati sint pertrahere; verùm id aiūt frustra semper fuisse; cùm ille fraudes Sacramentariarum, & insidiosas machinationes prudenter eluserit. Secundò, Quod in Colloquio Marpurgensi an. 1529. primum, deinde anno 1530. sequeute in Comitijs Augustanis Luthero contra Zvingliū, Oecolampadiū, Bucерum, Capitonē constāter adhæserit, nec se passus fuerit vllis rationib. induci, vt Zvinglianos vel haberet pro fratribus, vel ad subscribendam Protestantium Confessionē admitteret: Imò quod sub idē tēpus durantibus adhuc Comitijs, ad detegendā Buceri fraudulentiā articulos de Eucharistia scripserit, in quibus lōgè aliam esse suā & Lutheri, quam Buceri cæterorumq; sententiā demonstrauit.

f 4

Tertiò,

ANNO

1530.

Calvinianus,
an verò
Lutheranus?

II.

Lutheranorum pro
co sententia, & rationes.

I.

Marb. in expl. verb. Can. c. 1. fol. 24. 25. 26. Seln. in vlt. Conf. de Can. H. 1. a. b. & c.

2.

ANNO
1530.

3.

Tertiò, Quod eodem anno sententias de Eucharistia, è scriptis veterum Patrū selectas in lucē emiserit, atq; in istius libelli præfatione animum à Zvvinglianis alienum declararit: tū quod paulò post litteras scripserit ad quēdam Martinum Gorlitium, apud Brunsvicensis euangelij Lutherani ministrū, in quibus prouocarit ad libellum hunc ex Patribus collectum, seq; asseruerit mortē subituum potius, quam vt Christi Corpus cum Zvvinglianis vni tantum loco sentiat alligandum.

4.

Quartò, Quod postmodū an. 1536. cū V Vittenbergæ de concordia inter Lutheranos & Sacramentarios ageretur, & Bucerus cū socijs abdicato errore in Lutheri sententiam concederent, quemadmodū Lutherani constanter asserunt, Melanchthon actionis illius capita punctim ad eum modum conceperit, vt scriptum illud non aliam quā Lutheri doctrinā de Eucharistia complecteretur. Quodque in eadem sententia permanserit, & anno sequēte 1537. ad Electorē scripserit, se quoad viueret, Zvvinglianorum sententiam nō probaturū, cū eos falsa docere ac scribere compertum

5.

habeat. Quintò, quod cum an. 1540. in itinere V Vormatiā versus, graui morbo oppressus Vinariæ decūberet, iamq; velut in extremis constitutus cōderet testamētum, ad formulā concordiae V Vittenbergensis à se cōtextam prouocarit; quā ex Lutheri sententia scriptā, vel ipsi Zvvingliani nō diffitentur: quodq; biēnio post, an. 1542. scilicet, ad cōcionatores quos-

quosdam, Vlmenses præsertim, inter reliqua ANNO
scripserit, hominem tentationibus exerci- 1530.

tum, qui pietatis affectū habeat, Zvvingli-
anorum doctrinam probare non posse; se ve-
rò metuere, ne Sacramentarij magnam ad-
huc securitatem, imò & paganismum ipsum
in Ecclesiam inducant, nisi suos confirmet
Deus. Sextò, quod Melanchthon in omni-

6.

bus colloquijs, quæ cum Catholicis ad diri-
mendas religionis cōtrouersias instituta fue-
runt, nomine Protestantium delectus sit ad
causam Lutheranorum agendam: Neque ve-
rò Catholicos, si Zvvinglianus fuerit, cum
eo congressuros fuisse, vel quod talis esset
dissimulatuos. Septimò, Quod Lutherus
magni semper fecerit Melanchthonem, &
cōiunctissimè cum eo vixerit ad mortem vs-
que; quodque vicissim ipse coluerit Luthe-
rum, & defunctum oratione funebri sit pro-
secutus, in qua patrem eum appellarit, cur-
rum Israelis & aurigam eius; quod in lucem
quoque emisit scripta Lutheri, eaque præ-
fationibus additis, insigniter commendarit.

7.

Octauò, Quod semper publicè protestatus
sit, eam se religionem profiteri, quæ tradita
per Lutherum in Ecclesijs Saxonis vigeat;
quibus adhærere se, nec vnquã ab eo doctri-
næ genere discessurū, expressis verbis asser-
uerit: Quodque ex ipsius libris, si modo non
contra mentem autoris torqueantur, nihil
præsidij habeant Sacramentariæ factionis
ministri; cū perpetuò Lectorem ad eius do-

8.

ANNO

1530.

9.

Strinē fundamēta manu ducant, quæ Lutheri scriptis contineantur. Nondò, quod extremis annis, non longè antè, quam è vitâ discessit, de Caluino questus sit inter suos, viris fide dignis præsentibus, eumque dixerit multa scribere, nec ipsum intelligere, quid velit: quod aliquando, cum Norinbergæ esset, ad quendam Michaelem Rotingium, in
 „ hæc verba proruperit: Calvinus tantum de
 „ Cœna Domini nouit, quantum armilla mea:
 „ Coget me tandem necessitas, vt edito scripto eum oppugnem.

III.

Caluinistarum sententia & rationes.

Iacob. And. con. 4. de Concord. b. 3. &c.

Habes, lector, plerasque Lutheranorum rationes, quibus Melanchthonem suæ sectæ vindicant: Audi nunc, quibus argumentis eum Calvinistæ Sacramētarijs addictum fuisse suadeant. Quanquam non Calvinistæ modò, sed & Lutherani rigidiores, Flaciani scilicet, & Pantachasiastæ, vel Vbiquitarij Melanchthonem è ciuitate Lutheranâ proscriptum ad Sacramentarios ablegent; quod vt faciant, his se dicunt rationibus permoueri. Primò, quod cum viuente Luthero

I.

VVigādus apud Schlus- selburg. Calvin. fol. 286. 287.

SS. Patrum dicta diuulgarit, vt cōtrà Zvvinglianos veram Christi præsentiam in Eucharistiâ veteris Ecclesiæ testimonio confirmaret, post obitum eiusdem Lutheri retractarit libellum istum; quasi testimonia, quæ collegerit, maximam partem adulterina sint, nec eorum autorum, quorum nomine citata fuerint. Secundo, Quod cum opera

2.

Idē VVigād. in Confess.

Lutheri VVittenbergæ procuderentur, in
 secun-

secundo Tomo librum contra Zvvinglianos scriptum, cuius titulus est; Quod Christi verba, Hoc est corpus meum; adhuc firmiter consistant; integro folio mutilarit, eamque partem exemerit in qua Lutherus Melanchthonem defendit contra Buceri versutas calumnias, qui Zvvinglianis eum additum aliquando fuisse scripserat: Quamquam postea locum istum redintegrare coactus fuerit, & restituere, quæ sustulerat: Ea verò nequaquam inducturum fuisse Melanchthonem, nisi se criminis obiecti reum agnouisset. Tertiò, Quod in Commentarijs, in Caput vndecimum Epistolæ prioris ad Corinthios apertè satis eam Christi verborum expositione probet, quæ metonymiam admittit, quasi vinum significet Christi sanguinem, vt fasces, Imperium Romanum; eodem modo innuens intelligi oportere Christi verba: Hoc est corpus meum; quasi significant hoc, quod esse dicunt. Quartò, quod scriptis ad magnates litteris testatum fecerit, se non Lutheri de Eucharistiâ, sed Zvvinglij potius sententiam amplecti: Id compressis manifestum esse dicunt ex epistola quadâ ad Fridericû Palatinum Electorẽ, paucis mensibus ante obitû, scriptâ; in qua nõ modo Lutheri sententiâ de Eucharistiâ dânarit, verbis expressis, sed & causam dederit Electori, adeoq; consiliû suggesterit, vt pulsus Heidelbergâ cõcionatoribus, qui Lutherû sequebantur, Sacramentarios surrogarit, p quos Calu-

nismum

ANNO

1530.

*Theolog.**Misnens. de**Cœna Dom.**17. argumen**tis probat**Melancht.**fuisse Sacra-**mentarium.*

3.

4.

ANNO
1530.

- nissimum in academiam Heidelbergensem & Palatinatum introductum fuisse constat.
5. Quintò, quod plures id genus epistolæ versentur in manibus hominum, in quibus Lutheri sententiam de Eucharistiâ fugillarit, reieceritq; velut Papisticam, per quam Sacramenti veneratio stabiliatur; confirmet verò Sacramentarium dogma, illisque præbeat occasionem, vt in erroribus obdurescant.
6. Sextò, quod anno 1544. cum postrema Lutheri confessio de Eucharistiâ sub prælo esset, datis ad Heluetios litteris ea scripserit Melanchthon, quæ Zvinglianis eum potius in hac causâ, quam Lutheranis addictum fuisse testentur; quemadmodum ex litteris ipsius manifestum sit, quas Bullingerus Tigurinus postmodum diuulgarit.
7. Septimò, Quod Calvinus contra VVestphalum satis apertè scripserit, Melanchthonè in hac causâ sibi prorsus assentiri, nec à se minus, quam à suis ipsius visceribus auelli posse: quodque Melanchthon, cum Caluini liber hic in hominum manibus versaretur, per Georgium Anhaltinum monitus rogatusque, vt iniustam à Caluino maculam edito scripto quodam elueret, pertinaciter recusarit, imò se minatus sit ex istis regionibus aliò migraturum; quamquam illi facillimum fuerit, vno atque altero verbo aspersam Caluinismi maculam detergere.
8. Octauò, quod Ioannes Sturmus Argentinenfis multas Philippi litteras ad Sacramentarios Caluinum, Bullingerum, Harden-

denbergium, aliosque retulerit in lucem, & ANNO
 plures etiam id genus alias apud se repositas 1530.
 alleruari testetur, edendas suo tempore, si res
 ita ferat, quibus liquidò demonstrari possit,
 eandē prorsus Melanchthonis, quam Zvvin-
 glij & Caluini sententiam fuisse. Nonò, quod
 Professores Academiae V Vittenbergensis,
 Peucerus, Petzelius, Pierius, alijque nonnul-
 li Sacramentariae factionis homines, quos
 V Vittenberga velut serpentes in sinu soue-
 rit, à Melanchthone magnam partem fuerint
 educati; vt ex ipsius pectore scriptisque pu-
 blicis venenum illud hausisse videantur:
 quemadmodum & obiecto Melanchthonis
 nomine, velut glaucomâ quadam ad tempus
 sub Augustanae Confessionis vmbaculo la-
 titarint: licet tandem fraude detectâ, carce-
 ribus & exilio multati iustas perfidiae poenas
 dederint. His rationibus permoueri se di-
 cunt illi, Flaciani inquam, & Pantachusiaestæ,
 vt Melanchthonem non Lutheranis sed Sa-
 cramentarijs annumerandum censeant; qui-
 bus hac quidem in re Calvinistæ lubentes as-
 sensum præbent, quâquam eos alioquin, ve-
 lut Ecclesiae pestes deterrimas odio plusquã
 vatiniano prosequuntur.

9.

Ferat nunc sententiam in hac controuer-
 siâ, qui volet: Certè siue Lutheranis Melanch-
 thonem adiungendum iudices, siue Sacra-
 mentarijs, hoc aut illud pronuciari nequit,
 quin turpissimam ei non leuitatis tantum, &
 inconstantia, sed & hypocrisis ac fraudulen-
 tia

IV.

Melanch-
 thon incō-
 stantiæ atq;
 fraudis
 reus.

ANNO
1530.

tiæ maculam inuras. Nam si Sacramentario-
rum causam probat, cur id publicè dissimu-
lauit? Si loco veritatis habuit istorum do-
gma, cur id apertè nō est professus? Cur con-
tra dictamen conscientiae, contra genium in-
ter eos mansit, quos errore fascinos esse
credebat? Si verò Lutheranus erat ex ani-
mō, cur clam prensauit Sacramentarios? cur
receptaculum illis præbuit in Augustanâ
Confessione, quos in Comitij ab ea seclu-
serat? cur secreta cum ijs habuit consilia,
quos acerrimos Lutheranorum hostes esse
non ignorabat? Quicquid dicas, leuitatis &
hypocritis infamiam à Melanchthonis no-

Ratio, quâ mine nunquam remouebis. Excusant illi
Sacramen- Sacramentarij per Lutheri tyrannidem, quâ
tarij Me- deterritum aiunt, ne quod animo gerebat
lancht. ex- agnitæ veritatis secretum, vt loquuntur isti,
cusant. in apertum proferret. At tyrannis ista, si
quæ fuit, Luthero sublato finem habuit:

Refutatur. Cur igitur postea, quam ab hac seruitute li-
beratus fuit, ad castra Sacramentariorum
non transijt? Imprimis cum post bellum
germanicum à domesticis ad inconstantiam
& mutabilitatem multum exagitaretur. Ve-
rùm ille perpetuò restitauit, eodemque se
modo habuit, post obitum Lutheri, quan-
tum ad professionem publicam attinet, vt
pridem. Vnde sunt, qui neutris eum in so-
lidum adhæsisse putent, sed velut nutabun-
dum inter vtrosque fluctuasse; quorum ego
sententiam facilè probarim. Licet enim

Melanch-
thon inter
vtrosque
fluctuat.

Melanch-

Melanchthon Sacramentariorum doctrinam de Cœna Domini fuit amplexus; quod ipsius ad Fridericum Palatinum litterarum silentium ad Caluini prouocationem certum faciunt, & indubitatum; alia tamen quædam ipsorum dogmata, puta de libero arbitrio, de prædestinatione, de causâ vel autore peccati, de fatali necessitate, quæ Sacramentarij ex primis illius scriptis hauserant, penitus improbauit: Quæ causâ fuisse dicitur, ne se totum Sacramentarijs manciparet. Vicissim oderat infestè Lutheranos illos, qui se solos verum habere Lutheranismi nucleum, & germanum Lutheri spiritum, plenis faucibus hausisse gloriabantur, Flacianos dico, quos non destitit, quamdiu vixit, acerbè scriptis publicis insectari. Reliquis verò Synergistis, Adiaphoristis, Maioristis, adiunxit se quidem professione publicâ, cum inter eos viueret; At quia Lutheri dogma retinebant de Eucharistia, nec illis animo potuit in solidum adhærere. Ita factum est, vt miseram omninò vitam viueret, quam in luctâ conscientie traduxit, mœrore animi & perpetuâ sollicitudine propemodum contabescens. Vnde post obitum ipsius nata fuit hæc controuersia, de quâ Lutheranus quidam Melanchthonis, vt præceptoris, amantissimus, cum eum velut Ecclesiæ Lutheranæ ciuem vindicari posse desperaret, hanc sententiam pronunciauit: Aut habemus, inquit, Philippum
Luthe-

Melanchthon perpetuo in vita misera
Seln. in rep. conf. de Cœna contra Petzelium, C. 3. b.

ANNO
1530.
Luthera-
norum de
Melanch-
thonis fide
anceps o-
pinio.
V Wolff. in
hist. Confess.
fol. 125.

Lutheranum, aut prorsus non habemus: Quæ sicut ipse Melanchthon ceu dubius inter utrosque palpitauit; ita & utrorum verè fuerit, in dubio relinquit: Nisi quod eum, si Lutheri doctrinam abiecerit de Eucharistiâ, dignum iudicet, qui prorsus à Lutheranis explodatur. Neque verò Lutherani Melanchthonem Zvinglianizantem è Synagogâ suâ modo, verum etiam è cælo, quantum in ipsis quidem fuit, excluderunt, dum causas esse scribunt, ut non minus, imò magis etiam de Melanchthonis, quam de Salomonis salute dubitetur. Quâ in re proculdubio Lutheri iudicium secuti sunt, qui Zvinglianos velut hostes Christi, & infidelibus nequiores diabolo tradendos censuit, & in terrorem aliorum æternis cruciatibus adiudicandos. Verùm hæc hæc hactenus, & prolixius quidem, quâ in initio propositum habuimus: Nunc missis ijs ad historiam Melanchthonis iuxta seriem annorum breuiter pertexendam, uti nobis ab initio constitutum fuit, reuertamur.

CAPVT X.

- I. Landgravius Lutheranos cum Sacramentarijs rursus coniungere studet. Monasterij Sacramentarij & Anabapt. nidificant. cum obitu Electoris Sax. & aduentu Legati Pontificij in Germ.
- II. Conuentus Smalcaldia. confessio Melanchth. de iurisdicte. Episc. restitutio Vlrici VVittenbergici Melanchthonis Tubingã euocati.
- III. Regis

III. Regis Angl. illicitæ nuptiæ & Pontificatus. literis à Melanchth. salutari.

IV. Melanchthon vocatur à Rege Gallie.

V. Prohibetur à Saxone, idg, ex causis, vbi vide æconomiam & literas Mel. ad Regem.

ANNO
1531. & 32.

SOLVTO conuentu Augustano Landgrauius denuò Lutheranos de cõcordiâ cum Sacramentarijs ineundâ per litteras interpellauit: Factum hoc est anno 1531. cum paulò antè ciuitates aliquot Zvvinglianas ic̃to cum illis fœdere sibi deuinxisset. Dedit vero litteras ad Theologos VVittenbergenses, Lutherum, Melanchthonem, & cæteros, eosque monuit, vt vel nunc tandem propter cõmune periculum, quod à Cæsare videatur imminere, cum Heluetijs Zvvinglianis fraterno se vinculo coniungerent. Responsum fuit nomine facultatis Theologicæ, causas esse grauissimas, cur id fieri nullâ ratione possit, quas Melanchthon & Brentius in Comitijs Augustanis pridem commemorarint. Scriptum hoc Melanchthon confecit: Adiunxit & suas ad Landgrauium litteras, in quibus repetit ea breuiter, quæ anno superiore de hoc negotio scripserat Augustæ, & Sacramentarios à fraternitate penitus arcendos esse demonstrat.

I.
Sel nec. in
rep. Conf. I.
1. a.
Anno 1531.
Lutherani
à Landgra-
uio de ine-
undâ con-
cordia sol-
licitantur.

Eorum re-
sponso.

Sub hoc tempus, cùm Lutheranismi contagio passim se per Germaniam diffunderet, Monasterium quoque infecit, quæ VVestphaliæ præcipua ciuitas est, Episcopali sede insignis. Erant in eâ ciuitate quidam

ANNO 1532.
Monaste-
riũ Westph.
Lutherani-
smo infici-
tur.

g

per

ANNO
1532.
Meshou. lib.
6. & 7. hist.
Anabapt.
Magistra-
tus inter-
pellatur de
tollendis
abusibus.

Rotman-
nus fit Sa-
cramenta-
rius.

Keisenbr. li.
de Anabapt.
Monast.

A Melach-
thone ad
Lutherani-
smum re-
vocatur.

Consciētiæ
hominum
dubitatio-
nibus ob-
noxia.

per Lutherum & Melanchthonem fascina-
ti, Bernardus Rotmannus, Briccius Norda-
nus, Ioannes Glandorpius, alijque, qui res
nouas moliebantur, & quanto studio pote-
rant, à Catholicâ religione hominum ani-
mos auertebant. Vt verò publicæ mutatio-
nis fieret initium, anno 1532. 26. Iulij de qui-
busdam, vt ipsi loquebantur, abusibus tol-
lendis magistratum admonuerunt. Interim
Rotmannus, qui sub initium defectionis Lu-
theranus erat, à quibusdam persuasus, Sacra-
mentarijs sese coniunxerat: Cuius factionis
quidam id temporis per VVestphaliam dif-
currebant. Quod cum Melanchthon intel-
ligeret, Rotmannum pro insigni suo in eum
affectu monendum putauit, vt à Sacramen-
tariorum consortio sibi caueret. Igitur, pri-
die Natalis Dominici, anno 1532. litteras ad
eum dedit, in quibus rumorem, ait, VVittē-
bergam delatum, incerto tamen autore, Mo-
nasterij Zvvinglianum dogma de Euchari-
stiâ palam probari. Se quidem nec planè fi-
dem habere rumoribus istis, nec existimare,
quod Zvvinglizantes Rotmannus ipse pro-
bet. Quanquam verò sibi nequaquam hoc
sumat, vt ipsi aliquid præcipiat, tamen
pro amicitia, quæ sibi cum illo interce-
dat, monendum putasse per litteras, vt
alia potius doceat salubriora, quam illas
Zvvinglij disputationes. Facile conscien-
tias hominum in dubitationem conijci,
ex qua difficillimè liberentur. Ideoque
cer-

certa potius eligenda inter docendum, quæ ANNO
fiduciam in mentibus confirmet, non quæ 1532.

gignant dubitationem. Quorsum opus
sit prophanas illas spargere disputationes,
quod nusquam nisi in cælo sit Christus,

& quod vni sedeat affixus loco? Non pro-
bare quidem VVittenbergenses, quam Pa-
pistæ doceant panis conuersionem in Chri-
sti corpus; sed profiteri tamen, quod ve-
rè Christus adsit in Cœnâ: quæ res ni-

hil habeat incommodi. Scire se, multa
hic quæri posse ab hominibus ingeniosis:
Nec dubitare, quin Rotmannus ipse, cum
acri præditus sit ingenio, his disputationi-
bus exerceatur. Rogare verò etiam atque

etiam, ne iudicium præcipitet. Non igno-
rare se, viros doctos alicubi applaude-
re dogmati Zvvingliano; & habere con-
cinnas rationes: Sed in hoc negotio ad
analogiam fidei respiciendum. Scribere

hæc animo simplici, amore ipsius addu-
ctum: Nec Episcopum sese ipsi, nec pæda-
gogum constituere; sed cum amet ipsius
ingenium probetque, malle id in rebus bo-
nis occupari, & in locis Christianæ do-

ctrinæ necessarijs illustrandis, quam in dis-
putationibus prophanis. Hæc Melanch-
thon ad Rotmannum; quem & Lutherus,
datis eodem tempore litteris, à confor-
tio Zvvinglianorum deterrere conatus

fuit, verbis paulò rigidioribus, dum
Zvvinglium ipsum anno superiore trucidatum

Dogma
Wittéberg;
de Eucha-
ristia.

Rotman-
nus à Lu-
thero de-
terretur
amplecti
Zvvinglia-
nismum.

ANNO
1532.

Sur. in com.
pag. 236.
Cochl. in
Act. pa. 289
Sleid. lib. 10
Pertinax
miserabili-
ter perit.

tum in prælio, cum symmiftis pœnas impij dogmatis dedisse scribit, horribili sanè exemplo, si discipuli possint commoueri; quos, ait, instar Iudæorum & Philistinorum obduratos talia contemnere, & nescio, quos martyres celebrare. Verùm frustra fuerunt istæ Melanchthonis & Lutheri commotiones. Rotmannus enim à Lutheranis iam deflexerat ad Sacramentarios: A quibus postmodum ad Anabaptistas transitum fecit, & tandem anno 1535. occupatâ ciuitate miserandum in modum periit.

Saxonis ex
apoplexia
obitus.

Eodem anno 1532. Ioannes Elector Saxoniae, cum Svveinitium excurrisset, venandi gratiâ, in grauisimum incidit paroxysmum, oppressis repenti sensibus: Apoplexiam fuisse putant. Vocati continuò fuerunt Lutherus & Melanchthon, vt Principi luctanti cum summis angoribus assisterent; qui Svveinitium 15. Augusti sub noctem venerunt. Princeps verò iam agonizabat, sensibus, vt diximus, oppressis, & postridiè post durum agonem ipsis præsentibus spiritum exhalauit. In funere Lutherus duas conciones habuit ad populum; Melanchthon verò latinè perorauit: Atque hæc oratio, vti & Lutheri conciones, statim typis expressa fuit & diuulgata. Successorem habuit Ioannem Fridericum filium, qui parentis vestigijs insistens, Lutheranae causæ patrocinium magno affectu suscepit.

Pro eo cõ-
ciones fu-
nebres.

Cæsar

Cæsar hoc eodem anno ex Austriâ profectus in Italiam, Bononiæ cum Clemente Septimo Pont. in colloquium venit; Vbi de statu religionis per Germaniam, deq; concilio varij fuerunt inter eos habiti sermones. Placuit autem, vt ad componendum religionis dissidium, Pötifex Oecumenicam Synodum indiceret, eaq; de re Reges & Principes Christiani nominis faceret certiores. Igitur anno sequente proximo, qui fuit à nato Christo 1533. Legatum in Germaniam misit Episcopum Reginensem Hugonem Rangonum, maturâ ætate & insigni prudentia virum, qui de Pontificis & Cæsaris instituto Principes edoceret. Is inter cæteros ad Saxonem quoque venit Electorem nouum, in Thuringiâ tum commorantem, ei que Vinariæ legationis suæ summam exposuit: Pontificem scilicet, ad dirimendas religionis controuersias, re cum Cæsare deliberatâ, generale Concilium indicere decreuisse; quâ de re Principes maturè putauerit admonendos: Hortari verò Saxonem, vt & ipse cum socijs faueant huic instituto, seque lubentes ad Pontificis & Cæsaris voluntatem adiungant. Respondit Saxo, negotium hoc arduum esse, magnæque momenti: Itaque cum socijs super eo deliberandum, antequam mentem suam declarare possit.

Deinde Protestantes ad 24. Iunij Smalcaldiæ conuentum habuerunt, vbi, consilijs inter se communicatis, huiusmodi respõsum

ANNO

1533.

Sleid. lib. 8.

pag. 193.

Cochl. in

Act. pa. 258.

Cæsar Bo-

noniæ cum

Pontifice

agit de Cõ-

cilio.

Sur. in com.

pag. 227.

Anno 1533.

Sleid. lib. 8.

pag. 194.

Legati Pon-

tificij in

Germaniâ

aduentus.

Summa le-

gationis.

Saxonis

responsio.

II.

Cõuentus

Smalcaldiæ

indicitur.

ANNO
1532.

Protestan-
tium de
Concilio
sententia.

*Cam in vi-
ta Mel. pag.*

147.

Melancht.
renuit sese
submittere
decretis
Concilij.

Sustinet
inuidiam
ob restitu-
tam iuris-
dictionem.

dederunt, vt Cōcilij generalis cognitionem, ad quam in omnibus penè comitijs prouocare consueuerant, nunc defugere viderentur.

Quia verò negotium hoc ad religionem imprimis pertinebat, concionatores etiam in consilium adhibere placuit: Qui propemodum omnes nec indicendi Concilij ius Pontifici concedendum censuerunt, nec auctoritatem, vt in eo præsideret: Quod vtrunq; tamen Melanchthon eidem Pontifici liberali manu tribuebat, nimirum vt synodum conuocaret non modo, sed in eâ quoq; præsidis munere fungeretur. Hoc vnū illi displicuit, quod postulabatur, vt omnes sese decretis futuræ synodi submitterent. Id enim nimis feruile videbatur & intempestiuū; nec quenquam in principio volebat ad hanc promissionem adstringi; quod in Synodo liberæ esse sententias oportere diceret.

Igitur in hac deliberatione dissidebat à cæteris, eamq; potestatem dabat Pontifici Romano, quam, nisi pro capite agnoscat Ecclesiæ militantis in terris, habere non potest: Quæ res magnā apud suos inuidiam illi conciliauit. Nec deerant, qui Melanchthonē non modò Papismū in corde fouere dicerent, sed & hoc agere, vt abolitam Pontificis dominationem in solidum restitueret. Nouerat istos de se spargi rumores, quos contempsit fortiter, nec à sententiâ tamen se passus est dimoueri, licet omnium in se, & magnorum quoque Principum animos cōcigaret. Auxerunt
hanc

hanc indignationem litteræ quædam ipsius, sub hoc tempus per quosdam diuulgatæ, qui hanc eius moderationem, & hierarchiæ conseruadæ studium vehementer improbabant. Eas Augustani conuentus tempore scripserat anno 1530. ad Campegium Cardinalem, ad Legatum Venetum, Nicolaum Teupulū, aliosque de pacis inter Catholicos & Lutheranos instaurandæ conditionibus; In quibus secretum mētis hac de re paulò liberius aperuerat, nūquam futurum ratus, vt hæ litteræ venirent in aliorum manus, & publicè per æmulos in inuidiã sui nominis circumferrentur. Maluisset eas supprimi quidem propter Lutheranorum quorundam intemperiem; & indignè tulit, quod ea passim audiret in luce hominum narrari, quæ pro conditione temporum, pacis studio, viris concordie amanti- bus, velut in aurem musitarat. Sed quia litteræ iam in manibus hominum versabatur, & res non erat integra, dissimulauit contractum animi dolorem, nec à sententia tamen discessit; quemadmodum quadriennio post manifestum euasit in synodo Smalcaldensi, vt infra suo loco dicemus.

Anno sequente proximo, Philippus Hassiæ Landgrauius Vlricum V Virtenbergensem ducem, quem fœdus Svveicum ante annos quindecim plus minus è ditione suâ per vim exturbarat, armatâ manu reduxit, eiectis ijs, per quos Ferdinandus Bohemiæ Rex Ducatum istum moderabatur.

ANNO

1532.

*Ibid. p. 149.**Chy. in hist.**Conf. p. 297*Litteræ ani-
mi eius in-
dices in pu-
blicū pro-
deunt.Dissimulat
animi sui
dolorem.*Cam. in vi-
ta Mel. p. 151.*

ANNO 1533. & 34 Vlrucus igitur, cum restitutus esset, Melách. thonem, datis litteris, ad Academiam Tubingensem inuitauit, in quâ magisterij lauream aliquando susceperat. Ille tametsi satis istuc propendebat, quod à Lutheri aliorumque quorundam crudis & immoderatis actionibus totus esset alienus; quia tamen obstrictus erat Principi, negotium hoc ad illius arbitrium reiecit, à quo missionem impetrare tum quidem non potuit. Postmodum tamen Tubingam excurrit, permissu Principis ibiq; ad vnum propè mensem hæsit, studijs, quæ turbata nonnihil erant, instaurandis occupatus.

III. Non multò ante, quam V Vircenbergicus restitutus fuit, anno scilicet 1533. Henricus Octauus Angliæ Rex, vxore Catharinâ repudiatâ, quandam ex gynæceo Annam Boleniam in eius locum sibi copulauit: Quæ res Catholicis omnibus vehementer displicuit, causamque præbuit annis sequentibus, vt regnum Anglicanum ab orbe Catholico diuulsam, in partem secederet. Pontifex verò Clemens Septimus Regem aliquoties monuit, vt desisteret ab instituto, & pellice dimissa, Catharinam sine causa repudiatam ad thori consortium reuocaret: Cumque nihil obtineret, tandem anno 1534. 23. Martij, latâ sententiâ matrimonium prius legitimum, posterius verò cum Bolemiâ contractum, irritum pronunciauit. Rex per hoc decretum vehementer exasper-

Ulrucus
Wirtemb.
per Landg.
restituatur.
*Bucholtz in
Chro. p. 542
Sleid. lib. 9.
fol. 205.*
Melanch-
thonem
Tubingam
inuitat.

Rex Angliæ
adulteri-
nas cum
Bolema
nuptias ce-
lebrat.

*Sur. in com.
pag. 227.*

*Sandez. lib.
1. de schif.
Angl.*

Anno 1534
A Pontifi-
ce mone-
tur, eiusq;
nuptiæ
cassantur.

exasperatus omnem Pontifici auctoritatem & iurisdictionē abrogauit in episcopos Anglicanos, seque per Angliam loco Pontificis ecclesiæ caput, à Christo proximum constituit. Quod cum Lutheranis innotuisset laborandum putarunt, vt regnum illud ad se quoquo pacto pertraherent.

Hærebat id temporis Anglus quidã VVittenbergæ Antonius Barnus, qui Lutheri cõuictu utebatur. Hic auctor Melanchthoni fuit, vt regem adiret per litteras, seque stilo ad modestiam tēperato, suauiter in animum ipsius insinuaret, futurum ratus, vt, quia diuortium fecerat ab Ecclesia Romana, & grauissimo flagrabat in Pontificem odio, non difficulter ad Lutheranorum castra traduceretur. Scripsit igitur Melanchthon epistolam ad Regem, in qua principio vehemēter eum commendat, quod in ornandis excitandisq; per Angliam honestis disciplinis, aliorum istius ætatis regum ac principum industriam longè superet. Hæc ob causam aureum in Britannia nunc esse seculum, quale fuerit olim in AEGypto, cum Ptolomæus Philadelphus rerum istic potiretur; qui vt fouendis prouehendisq; litterarum studijs omnium gentium & posteritatis etiam amorem meruerit; ita & Angliæ Regi eandem ob causam vniuersum genus humanū debere plurimum. Et se quidem, ait, in votis habere, vt tanto Regi, præcipuo, adeoque vnico penè litterarum patrono sit commédatus: cui stu-

ANNO

1534.

Rex vsurpat Pontificatum in Anglia.

Melancht. Regem Angliæ litteris prensat.

In ep. sel. fol. 69.

Laudat à disciplinis.

ANNO

1534.

Operam ei
suâ offert.Infinuat
se de reli-
gionis cõ-
trouersis.

dium omne suum atque operam offert, quã-
tum quidem pro ingenij mediocritate præ-
stare possit. Rogat, vt in quo periculo nunc
versentur bonæ litteræ, consideret, quæ per
germaniam, alijsque in regnis ferè contem-
ptui habeantur, & in odio sint propter exci-
tatas de religione controuersias. Olim, cum
per Europam propter arma Catholica extin-
ctæ propemodû essent bonæ litteræ, ex An-
gliâ rursus instauratas fuisse, & in totum or-
bem propagatas : Qua in re nunc quoque
Regem de posteritate & vniuersa Ecclesia
benè mereri posse asserit. Quod si authorita-
tem interponat ipse, cæterisque regibus mo-
derationem suadeat in religionis negotio, &
deliberationem instituat cum viris doctis, de
genere doctrinæ, non dubitare se, quin con-
trouersia de dogmatibus mitigentur. Futu-
rum omninò inter dissidentes, si Rex curam
hanc suscipiat, quod à Virgilio scriptum sit
de sedandis populi motibus, loquente:

Virg. I.
Aeneid.

*Tum pietate grauem, ac meritis si fortè virum
quem*

*Conspexere, silent, arrectisq; auribus astant:
Ille regit dictis animos, ac pectora mulcet.*

Atque hanc curam regibus diuinitus impo-
sitam esse, quã vt lubens suscipiat, enixè Re-
gem cohortatur : Id fore beneficium asserès,
quòd æternam illi veramque gloriam apud
omnes gentes sit pariturum.

Anno 1535.

Hæc Melanchthon ad Regem Angliæ 13.
Martij ann. 1535. Cumque iam animum illius
hoc

hoc pacto delinitum putaret, progredien-
 dum ratus, dedicauit illi libellum quen-
 dam: Quom Rex non modo lubens accepit,
 sed & datis ad Melanchthonem litteris. pla-
 cere sibi testatus est hoc officij genus: Quin
 & labores illius & affectum in dedicando o-
 pusculo declaratum, amplissimo donario re-
 munerauit.

ANNO

1535.

Libellũ ei
quendam
dedicat.Honora-
tur ab eo
munere.

Hanc nactus occasionem Melanchthon
 eodem anno Calend. Decembris denuò scri-
 bit ad Regem, eique gratias agit imprimis
 pro munere, seque gaudere dicit, quod à scri-
 ptis suis non abhorreat: Sperare verò, vbi
 intellexerit, cuiusmodi sit doctrinæ ge-
 nus, quod ipsi profiteantur, futurum, vt
 ea res magnum momentum adferat ad or-
 nandam CHRISTI gloriam, & allectan-
 dos ad moderationem cæteros Reges, quo-
 rum iracundia præter modum exarserit in
 nouatores Lutheranos, quos doctrinæ pu-
 rioris studiosos nominat. Intelligere Re-
 gem pro excellenti sua sapientia, quam
 gloriosum sit, & dignum summis heroi-
 bus, veram religionem propagare, &
 publicis mederi vitijs: Ideoque cohorta-
 tione sua hac in re opus non esse. Tan-
 tum agere se regi gratias, quod officium
 suum probet; omnia vicissim illi debere se
 studia sua, & ingenij vires omnes. In-
 terim optare, sibi tantum ingenij esse,
 atque doctrinæ, vt officio aliquo possit
 amorem erga Regem ipsum, & gratitu-
 dinem

*In ep. sel.**fol. 73.*Alio scrip-
to quodã
Regem de-
limit.Commen-
dat Luthe-
ranismum.Obsequia
sua Regi
præsentat.

ANNO
1535.

Occasio
scripti Me-
lanctho-
nici ad Re-
gem.

dinem ipso facto testificari. Facturum certè, ut declarandæ gratitudinis, voluntatem atq; studium sibi non defuisse intelligatur. Scripsit ista Melanchthon, ut Regem à Sede Romana penitus auersum, ad Lutheri partes suauiter & dissimulanter inuitaret. Quamquam conatus hic pro voto non successit; cù Rex Angliæ, tametsi discessit ab obedientia Pontificis, dogmata tamen Ecclesiæ veteris, quæ Lutherus abiecerat, magnam partem retinuit: Qua de re paulò post forsitan erit dicendi occasio.

IV.
A Rege
Galliæ ad
Colloquiũ
inuitatur.
In ep. sel.
p. 94. 95.

Pullulat
hæresis in
Galliis.

Libri Me-
lanct. te-
runtur à
quibusuis.

Hoc eodem anno & Galliæ Rex Franciscus, Melanchthonem per litteras vocauit, ut cùm Theologis quibusdam istius nationis de religione conferret: Quod per huiusmodi occasionem accidit. Pullulabat iam tum in Gallia Lutheranismus vel Zvinglianismus potius, eoquæ malum illud excreuerat, ut insolentia quorundam & seditiosæ machinationes acerbiorẽ vindictam flagitarẽt. Rex igitur in nonnullos seuerius animaduerti iussit, ne si principijs non obsisteretur, scintilla hæc in publicum incendium erumperet, & Galliæ populus, qui paulò concitator est, factiosis opinionibus imbutus eadem machinaretur, quæ rusticanam plebem ante decennium in Germania patrasse meminerat. Volitabant autem id temporis inter scripta sectariorum, quibus legendis populus in factiones dissiliit, & libri Melanchthonis; in quibus religionis negotium paulò moderatius

tius agi videbatur, & ciuilius, quam in Lutheri, Zvinglij, aliorumque nonnullorum scriptis, qui capita censebantur & duces factionum. Accedebat fama de Melanchthone, quæ spargebatur passim, quod nimirum valdè benignus esset & placidus, nec integrâ suaderet ab Ecclesia veteri diuulsionem, sed Pontificis autoritatem, iurisdictionem Episcoporum, & politiam ecclesiasticam prorsus conseruatam vellet. Ea moderatio gallos quosdã nouis opinionib. fascinosos in spem adduxerat, futurum, vt si Melanchthon cum Rege veniret in colloquium, ipsius animum nonnihil mitigaret, eumque ad clementiam inflecteret. Igitur studio quorundam effectum fuit, vt Rex, quamuis oderat sectarios omnes, à Melanchthone tamen minus esset, quam à cæteris istarum factionum alienus. Qua de re per litteras illum monuerunt, hortatique sunt, vt in Galliam excurreret, Regem ipsum salutaturus; cui gratum ipsius aduentum fore pollicebantur.

Sub hoc tempus in Germaniam à Rege missus fuit, alias ob causas Barnabas Voræus Fossa, qui litteras Gallorum quorundam detulit ad Melanchthonem, eique persuadere conatus est, ne detrectaret hoc iter: effecturum se pollicitus, vt non accerferetur modo litteris regijs, sed & obsides darentur, dum in Gallijs esset, non reuocandi, priusquam Melanchthon incolumis ad suos reuertisset. Ille cum expenderet negotium hoc, & varias

animo

ANNO
1535.

Ob humilitatem commendatur.

Cam. in
vit. Mel.
p. 153.

Legatus
Regis Galliarum ad Melanchthonem.
Cæsil. Theolog. p. 238.

Melanchthon
dubius.

ANNO
1535.

eius respō-
sio anceps.

Bellaius
propensus
in Germa-
nos.

Melancht.
encomiis
euehitur a-
pud Gal-
los.

animo difficultates voluntaret, hæsit ali-
quandiu, dubitans in quam se partem ver-
teret. Erant ex amicis, qui deliberantem
per litteras instigabant, ne tam insignem,
quæ sese nunc offerret, euangelicæ rei iu-
uandæ occasionem, è manibus elabi patere-
tur. Melanchthon verò amicis in Gallia ad
eum modum respondit, vt se venturum, nec
se certo polliceretur, nec abnueret pror-
sus; hortatus interim, vt Regis animum at-
que fauorem, quanto possent studio retine-
rent, ipsique statuerent hac de re, quod iu-
dicarent expedire: Non tergiuersari se, quin
lubens molestiam subeat & laborem istius i-
tineris; si quidem ipsis ita videatur ex Gal-
liæ Ecclesiæque bono futurum. Interim E-
lectoris Principi se deuinctum esse; sine cu-
ius assensu nihil possit in hac causa pollice-
ri. Hæc Melanchthon ad notos quosdam
in Gallia; quorum facile primus erat Gu-
lielmus Bellajus Langius, Consiliarius Re-
gis & Cubiculi præfectus, cuius in Me-
lanchthonem, & eos, qui studiorum gratiâ
in regno Gallicano versabantur, germani-
cæ nationis adolescentes benignus erat af-
fectus. Voræus autem è Germania reuer-
sus domum, magnificè loquebatur ad regem
de Melanchthone, eumque multis ornabat
encomijs, non recusaturum asserens, quin
aduolaret continuò, si litteris regijs euoca-
retur. Quod ipsum & Bellajus confirma-
bat, ad quem scripserat è Saxonia Melanch-
thon.

thon. Horum igitur instinctu, litteræ scriptæ fuerunt Regis nomine: missus verò de-
 nuò Voræus in Germaniam, qui eas offer-
 ret Melanchthoni, eumq; secum in Galliam
 adduceret. Litterarum hæc erat sententia:
 Intellexisse iam ante Regem ex Gulielmo
 Bellaio Cubiculario singulare studium Me-
 lanchthonis ad sedandas eas, quæ in do-
 ctrinam Christianam inuectæ sint alterca-
 tiones. Nunc autem ex litteris ipsius ad
 eundem Bellaium partim, partim ex Bar-
 nabæ Voræi sermonibus certiozem factum,
 quod & paratus sit hoc laboris suscipere, vt
 primo quoque tempore in Galliam se con-
 ferat, deq; vnione doctrinarum cum selectis
 aliquot istius nationis doctoribus in præsen-
 tia sua differat, atque rationem cum ijs in-
 eat, qua sarciri possit pulcherrima illa eccle-
 siasticæ politicæ harmonia: qua vna re, cum
 nihil vnquam maiore cura, studio & solici-
 tudine animi complectédum duxerit, com-
 mittere se noluisse, quin hunc Voræum sta-
 tim dimitteret, cum his velut publicæ fidei
 obsidibus litteris. Obtestari, ne se patiat
 ullius persuasionibus ab hoc pio sanctoque
 instituto abduci. Venturum eum Regi om-
 ninò gratissimum, siue priuato suo, siue pu-
 blico suorum nomine venerit: Quin & futu-
 rum, vt experiatur reipsa, se priuatim ipsius
 Germaniæ dignitatis, & publicæ quietis an-
 te omnia in hunc vsq; diem studiosissimum
 semper fuisse.

ANNO

1535.

Rursus à
Rege euo-
catur.Litterarū
copia.Regis desi-
derium in
restaurāda
politia Ec-
clesiastica.

Scriptæ

ANNO

1535.

V.

Melancht.
à Saxone
prohibetur
in Gallias
ire.

*Cam. in
vit. Mel.*

p. 163.

Eius fini-
stra de Me-
lanchth.
opinio.

Iurisdic-
tio
Saxoni in-
uisa.

Scriptæ fuerunt hæ litteræ Gulsi, 28. Iu-
nijanno Christi 1535. Quas cum Melanch-
thoni Voræus obtulisset, accensum in eo fuit
itineris illius adeundi desiderium. Verum
iniecit illi manum princeps Elector, qui, vt
hanc profectioem susciperet, planè noluit
assentiri. Causas habuit eius rei varias; qua-
rum non postrema fuisse videtur, quod lini-
stram de Melanchthone suspicionem conce-
perat, vt illi soli causam hanc, & actionem
tanti momenti non committendam iudica-
ret. Nouerat eum in Augustanis Comitijs,
& postmodum in consultatione de Conci-
lio generali hoc egisse magno studio, ne dis-
solueretur ecclesiastica politia, quæ primatû
in Ecclesia Pontifici Romano tribuit, & epi-
scopis iurisdictionem. Igitur si nunc solus iret
in Galliam, cum Parisiensibus Theologis in
colloquium venturus, eaq; concederet, quæ
Catholicis largiri non semel voluit, futurum
existimauit princeps, vt ecclesiam Luthera-
nam, satis alioquin ob intestina diffidia labo-
rantem, in maius discrimen adduceret. Nam
vt Romano Pontifici iurisdic-
tio vel potestas
in episcopos concedatur, & his vicissim in
sacerdotes, in reliquos Ecclesiæ ministros, id
Lutherani zelotæ (qualis erat Elector Saxo)
persuasum habent fieri non posse, quin ia-
cturam faciant euangelij, & libertatem peni-
tus amittant, in quam se glorientur fractis
per Lutherum ecclesiasticæ disciplinæ repa-
gulis, & sacris canonibus exustis vindicatos.

At Me-

At Melanchthoni longè alia mens fuit; vti iam antè non semel diximus: Is enim hierarchiam ecclesiasticam, quam Lutherus ceteriq; pessum dederant, & furiosè conculcarent, restitutã volebat in integrũ, & deinceps conferuatam. Si quidem ad gubernandã Ecclesiam necessarium esse iudicabat hierarchicum ordinem: Nec erat ipsi dubium, quin in hoc genere retinenda potiùs esset hierarchia veteris Ecclesiæ, quam vt noui quidã homines non consecrati per episcopos, sed seipfos ingerentes, vel aliundè nouo more constituti, potestatem ecclesiasticã vsurpatione quadam in se transmouerent; quorum maiorem fore, quam vnquam fuerit episcoporum, vt loquuntur, in papatu tyrannidem ominabatur. Hanc Melanchthonis esse sententiam, princeps Elector non ignorabat: Itaq; cùm intelligeret eum in Galliã euocatum, ad tractandum religionis negotium, vt isthuc iret, prorsus noluit concedere; quemadmodum paulo suprã diximus. Imò litteras ad eũ dedit prolixas admodum, & scriptas seueriore stilo; quas cùm Melanchthõ legisset, territus non nihil mutauit sententiã, omnẽq; de Gallicano itinere cogitationem abiecit. Id verò dolenter tulit, & indignè Legatus Gallicus, qui Regi certam ferè spem fecerat de Melanchthone secum adducendo, si per litteras vocaretur. Sed quia princeps permoueri non potuit, vt eum dimitteret; nec ille proficisci voluit inuito principe, Voræus, postquam

ANNO

1535.

Causa iurisdictionis Ecclesiasticæ à Melanchthone approbatæ.

Melanchth. spem eũdĩ in Gallias abiecit.

Gallorum vota eludit.

h

varios

ANNO 1534. varios cum Melanchthone sermones habuit, solus in Galliam reuersus est.

Panthal.

Tom. 3. vir.

ill. ger. p.

204. in vit.

Mel.

Melancht.

officium

patrisfa-

miliã a-

git.

Atque hic Gallus ille fuit, nisi me fallit coniectura, de quo litteris produnt Lutherani, quod cum aliquando Melanchthonem inopinatè salutaturus accederet, inuenerit alterâ manu cunas motantem, alterâ verò tenentem librum: vt vtrumque simul agere videretur, scilicet infanti conciliaret somnum, atque interim iucundo lectionis pascu frueretur. Quod cum alteri mirum accideret, Melanchthonem, aiunt, sermonem ingressum de officio patrisfamilias, eaque de re tam luculèter & ornatè disseruisse, vt Gallum istum in stuporem verteret. In quo sermone nec illud præterijt procul dubio, quod à Luthero didicerat; maritum scil. patremfamilias, si moueat cunas, & fascès à sordibus expurget, risum conciliare, vel gaudium angelis in cœlo.

Secundum

Luth. do-

ctrinam.

Scribit ad

Regem

Galliæ.

Cæterum quia Melanchthon Voræum comitari non potuit, ne contemnere videretur tantum Regem, litteras ad eum dedit V Vittenbergæ scriptas ad quintum Calend. Septemb. an. 1535. in hanc fere sententiam: Pulcherrimum Franciæ regnum, ait, cum alijs multis ornamentis longè antecellat omnibus regnis totius orbis terrarum, tum imprimis hanc mereri laudem, quod doctrinæ studijs cæteras nationes semper vicerit, & pro religionis Christianæ defensione præcipuè velut in statione perpetuò fuerit: Quas ob

Commen-

datà do-

ctrinâ &

religiõne.

cau-

causas iure merito auspiciatissimū Christiani-
 nisimi titulum habeat, quo nullum in terris
 preconium maius & augustius dici possit. Igi-
 tur gratulari se Regi plurimū, quod hoc tē-
 pore curā Ecclesiæ seruandę suscipiat, nec ta-
 men violētis vtatur remedijs, sed vera ratio-
 ne, optimo & Christianissimo Rege digna. Eo
 nimirū studio regē in his dissensionibus im-
 petum vtriusq; partis moderari, vt explicata
 doctrina Christiana, & repurgata simul glo-
 ria Christi, dignitati ordinis ecclesiastici, &
 tranquillitati Reipublicæ consulatur. Hac
 profectō voluntate, & his consilijs nihil glo-
 riosius, nihil Rege dignius excogitari posse.
 Itaq; rogare se, vt in hanc curā cogitationēq;
 incumbere non desinat. In hac publica dif-
 fensione quosdam forsan immoderatos, vel
 malos etiam doctores alicubi locum inueni-
 re, quorū licet coercenda sit petulātia, rogare
 se tamen, ne Rex asperioribus iudicijs & scri-
 ptis quorundam eō se sinat abduci, vt res bo-
 nas etiam atque vtilis Ecclesiæ deleri patia-
 tur. Sibi nunquam placuisse, ait, immodera-
 tas opiniones, aut quę labefactarint pulcher-
 rimum & sanctissimum Ecclesiæ ordinem;
 quo quidem nihil in terris carius, nihil an-
 tiquius omnibus esse debeat. Et se quidem
 acceptis ipsius litteris in eo laborasse mul-
 tum, vt continuō ad Regem accurreret; cū
 nihil magis in votis habeat, quam vt pro te-
 nuitate sua opis aliquid Ecclesię adferre pos-
 sit: Verum magnas esse difficultates, quę

ANNO

1534.

Laudat Re-
 gis curā in
 Ecclesia
 conseruā-
 da.

Iram eius
 mitigare
 conatur in
 hæreticos.

Excusat
 aduentum
 suum.

ANNO
1535.

nunc quidem iter hoc paulisper remorētur; quas Voræus Legatus Regi probè sit expofiturus. Postremò feipsum Regi commendat, & iudicium suum perpetuò ad doctorum bonorumque virorum in Ecclesia sententiam aggregaturum pollicetur.

Rex Gallie cogitat Cæsari bellum inferre.

Hæc Melanchthon ad Regē Gallie Franciscum : Litteras autem perferendas Voræo dedit; qui cum in Galliam reuerteretur, Regem offendit alijs negotijs occupatum. Deceuerat in Italia bellum inferre Cæsari: Itaque totus erat in cogitatione de rebus ad expeditionem illā necessarijs. Interim amicitia captabat & societatem Protestantium, quos nouerat à Cæsare dissidere : Quæ causa fuit, vt hanc de sopiendis fidei cōtrouersijs cogitationem susciperet; cū principum animos persuasum haberet nulla re commodius deliniri posse, quam si Theologos ipsorum ad tractandum religionis negotium adhiberet.

Scribit ad
Conuentū
Smalcal-
dicum.

Sleid. li. 9.
Eius Lega-
tus Bella-
ius.

Cam. p. 146

Summa le-
gationis.

Cum verò Melanchthonem frustra euocasset, exeunte hoc anno, ad principes ipsos, qui Smalcaldiæ conuētus agebant, Legatum misit Gulielmum Bellaium Langeum, de quo suprā diximus; qui 19. Decemb. in confellum admissus, orationem habuit ad Protestantes: In qua sub finem, cū de concilian- dis dogmatibus & facienda concordia sermonem intulisset, Regem, si de sopiendis cōtrouersijs actio sit instituenda, quod in votis habeat, vel è suis missurum quosdam in Germaniam rerum sacrarum peritos; vel si quos ipsi

ipſi huius rei gratia è numero fuorũ in Gal. ANNO
 liam ablegare velint, communi cauſæ non 1535.
 defuturum. Erat in hoc conuentu inter alios
 & Melanchthon, cùm quo Legatus Gallicus
 varios de religione ſermones habuit, Regem
 teſtatus in eo totum eſſe, vt Eccleſiæ priſti-
 na tranquillitas atque cõcordia poſtliminio
 reſtituatur. Itaq; pergratum illi futurum, ſi
 nonnulli mittantur in Galliam è præcipuis
 Proteſtantium Theologis, qui cum Pariſien-
 ſibus de controuerſijs cõferant, & communi
 opera rationes exquirant, quibus eæ tandem
 publico Eccleſiæ bono ſopiantur. Verũ id
 cõſilij diſplicuit Proteſtãtib; vt quibus fa-
 cilè ſubolebat, Regẽ hãc de conciliãdis dog-
 matibus actionẽ compendij ſui gratia potius
 vrgere, quam Eccleſiæ iuuandæ ſtudio; atq;
 hoc agere ſolum, vt ſeiſſum, inito cum Pro-
 teſtantibus ſcõdere, muniret contra Cæſaris
 potentiam, cui bellum inferre decreuerat.

Regis deſi-
 derium in
 Concordia
 fidei.

A Prote-
 ſtantibus
 reiicitur.

C A P V T XI.

- I. *Conuentus Lutheran. & Zvvingl. in Haſſia
 & VVittenbergæ inuito Melanchthone.*
- II. *Actio Legati Regis Angl. cum Proteſt. Me-
 lanchthonem in Angliam mitti petentis.*
- III. *Profeçtio Melan. in patriam & inde Tubin-
 gam, cum varijs ſuſpicionibus Lutheran. e-
 ius reditus & infortunium.*
- IV. *Controuerſia inter Theolog. Tubing. & Can-
 cellarium, cum ſcripto reſolut. Melanchth.*

SV B hoc tempus de concordia denuò co- I.
 gitatum
 h 3

ANNO
1535.

Conuētus
Luther. &
Zvvinglia-
norum in
Hassia.
*Lauat. in
hist. Sacr.
fol. 23. 24.*

Delibera-
rio Con-
uentus.

Bucerus in
Hassiam e-
uocatur.

*Seln. in rep.
Conf. I. 1. b.*

gitatum fuit inter Lutheranos & Zvvinglianos instauranda: Nec Lutherus ab hac actione multum abhorrebat. Fecit eum paulò mitiorem Philippus Hassiæ Landgravius, qui negotium hoc ardentè egit, magnoque cum affectu; vt princeps erat acri ac vehementi ingenio præditus. Et Melanchthon quidem, anno 1534. exeunte, huius rei gratia missus fuit in Hassiam, vt præsentè Landgrauio de rationibus ineundæ concordia cum Bucero conferret: Quo eodem tempore, mense Decembri scilicet, eandem ob causam Constantiæ de Buceri consilio Zvvinglianorum synodus habita fuit; ad quam vocati sunt & Tigurini concionatores: quanquam propter aëris intemperiem non venerunt. Deliberatum fuit in hac synodo de medijs, quibus inter vtrosq; sopiri posset diuturnum illud de Eucharistia dissidium.

Dum in hac consultatione versantur isti, Conuentu nondum soluto, litteræ superueniunt à Landgrauio & Melanchthone, quibus Bucerus in Hassiam euocabatur. Nec detrectat ille, vt qui iam ab annis aliquot magno flagrabat huius dissidij componendi desiderio. Venit igitur in Hassiam sub initium anni sequentis 1535. Idque hanc ob causam libentius, quod sibi conferendum intelligeret cum Melanchthone, per quem ante, præsertim in Comitijs Augustanis, an. 1530. semper à Colloquio reiectus fuerat. Lutherus autem in mandatis dederat Melanchthoni, vt Buceri

men.

mentem; & num ab opinione sua discessuri sint Zvingliani, certius exploraret. Fecit hoc Melanchthon, vt ipsius litteræ testantur ad Vrbanum Regium, quibus Bucerum cum socijs paratum insinuat ad Augustanæ Cõfessionis normã de Eucharistia docere, & profiteri publicè, quod Christi corpus substantialiter vereq; sit præsens, ac porrigatur fumentibus, cum in Cœna Domini panis ac vinum accipiuntur. Hac de re cum admonitus esset Lutherus, ann. sequente 1536. ad 14. Maij, Synodũ indixit Isennacum, quæ postmodum propter ipsius inualetudinẽ VVittenbergam trãslata fuit. Missi sunt, qui cum Lutheranis agerent, Capito, Bucerus, alijque nonnulli; qui VVittenbergæ cū Luthero ceterisque, quos ille putauit assumẽdos, negotium hoc ad eum modũ transfegerunt, vt sub umbra verborum ambiguum, sub quibus Zvingliani non minus, quã Lutherani sententiam suã tueri possent, induciã factæ potius ad tempus, quã pax sancita videatur. Sacramentarij certè, quibus ardens inerat concordie desiderium, perpetuò ceslerunt, & ad Lutheri præscriptum probarunt omnia, seq; professi sunt sententiam illius amplecti sine fuco; atq; id non priuatim modo, sed & publicè, habitis ad populum cõcionibus, sumptaque Lutherano ritu Eucharistia; vt causa non esset, quin eos deserto Zvinglio, ad Lutheri castra transijsse diceres. Interim hæc actio Melanchthoni quidẽ displicuit: Incertũ,

ANNO

1535.
Melanch.
ad Regium
litteræ.

Ann. 1536.

Conuētus
Witten-
bergæ.
RabusToms.
2. de Mart.
in vita Lu-
th. fol. 184.

Zvinglia-
ni ad Luth.
deficiunt.

Mycon. in
ep. ad Vit.
Theod.

ANNO
1536.

Actio Wit-
tenbergica
inuisa Me-
lanchth.

Buceri co-
lubrinum
ingenium.

Mycon. in
epist.

quã ob causam, nisi quod naturæ ductu, alie-
nus erat ab asperis & crudis actionibus, cu-
iusmodi futurã hãc ex moribus & genio Lu-
theri facilè cõiectabat; vel quod ex mollitie
Zvvinglianorũ, & Lutheri rigore perpetuò
iam tum ominaretur, si quæ cõciliatio fieret,
eã syncretismum fore potius, vnionis titulo
laruatum, quam veram solidamque concor-
diam; vel demum, quod forsã ex colloquio
superioris anni cũ Bucero primitias hauserat
Zvvingliani spiritus, eãq; ob causam Luthe-
rum, quem nouerat à sententia non discessu-
rum, Buceri reliquorũq; fucatis cessionibus
confirmari nollet. Erat certè Bucerus colu-
brino ingenio, & ad illectandos hominum
animos suprã modum vafer. Vnde non est
alienum à veri similitudine, quod Melanch-
thonem nouos fortè flatus ex illius sermo-
nibus hausisse diximus; præsertim cum Sa-
cramentarij posteriores eum ab ann. 1536.
suarum partium fuisse gloriantur. Verum
vt ut se habeant ista, certè Melanchthoni non
admodum gratus fuit Zvvinglianorum ad-
uentus; quod ad Fridericum Myconium &
Iustum Menium, qui Bucerum, Capitonẽ, &
cæteros ex Thuringia VVittenbergã dedu-
xerunt, nequaquam dissimulauit. Interim,
quia designatus erat, vt actioni cum reliquis
interesset, adiunxit sese: quanquam à primò
congressu, in quo Lutherus Sacramenta-
rios paulò durius excepit, consultò absti-
nuisse videtur. Postea tamen accessit, & cum
reli-

reliquis interfuit actioni; donec res pro Lutheri voto confecta fuit, & laruata fraternitas inter præsentis constituta. Melanchthoni verò mandatum, vt huius vnionis capita breui scripto complecteretur: quod deinde collocutores vtriusque partis, subscriptis nominibus approbarunt. Antequam verò Bucerus, & Capito cum socijs VVittenbergâ discederent, placuit, vt hanc vnionis formulam vtrique cæteris quoque concionatoribus & magistratibus suæ partis proponerent, assensu ac subscriptione confirmandam. Et Lutherus quidem assensum hunc à suis non difficulter obtinuit; cum scriptum hoc licet in cothurni modum verbis obscuris & ambiguis conceptum esset, nihil aliud tamen, quàm ipsius Lutheri de Eucharistiâ sententiâ continere videretur.

Apud Heluetios autem, vbi propositum fuit hoc negotium, nouas turbas peperit. Habitati fuerunt huius rei gratiâ magistratuum conuentus, indicta Bernæ primum, post & Tiguri generalis synodus, scriptæ vltro citroque litteræ, laboratum vehementer à Bucero cum primis, vt Heluetij ratam haberent actionem VVittenbergicam, & conceptam à Melanchthone formam subscriberent. Verum id frustra fuit. Licet enim Bucero quidam accederent, subscriptionem vrgenti; maxima pars tamen, & præcipuè magistratus vrbium restiterunt; quod fucatam hanc & ambiguam, adeoque insidiosam esse con-

ANNO
1536.

Melanchthon Vnionis Lutheri & Zvvinglianæ capita cōsarcinat.

Ab Heluetijs vnio repudiatur
Lauat. in hist. Sacr. p. 29. & seq.
Cōuentus Bernæ & Tiguri.

ANNO
1535.
Heluetij
renuunt
subscribere
Vnioni.

cordiam dicerent. Horum verò sentētia vi-
cit, quod Bucerianam factionem suffragijs &
numero superarent. Tandem Heluetij post
multam deliberationem, amicitiam Luthero
quidem detulerunt & officia mutua; sed ra-
tam habere concordiae formulam, atque sub-
scribere constanter recusarunt.

II.
Sleid. lib. 9.
¶ 10.
Cam. in vi-
za Mel. fol.
168.
Regis An-
gliae Lega-
tus cum
Protestan-
tibus de
diuortio
ejus agit.

Acris eorū
de religio-
ne disce-
ptatio.

Eodem tempore, cum de tollendo, quod
inter Lutheranos & Zvvinglianos erat, dis-
sidio consultaretur, Henricus Angliae Rex
Legatos misit in Germaniam, qui cum Pro-
testantibus de foedere contra Pontificem in-
eundo, deque conciliandis inter Anglos Sa-
xonesque dogmatibus, tum de Regis ipsius
matrimonio cum Protestantium ministris
agerent. Et Principes quidem eos audiuerunt
in conuentu, quem anno 1535. mense Decem-
bri Smalcaldiae celebrarunt: Inde verò pro-
fecti sunt VVittenbergam, vbi transfegerunt,
quod reliquum erat hyemis, atq; interea cum
Melanchthone caeterisque Lutheranis de do-
gmatum conciliatione, deq; Regis diuortio
varias actiones habuerunt; vt quoniam vtri-
que defecerant ab Ecclesia Romanâ, in ean-
dem quoque doctrinae rituumque formam
conspirarent. Diuturna verò fuit, & acris il-
la de religione disceptatio: quanquam An-
glicani tandem post multam altercationem
in plerisque capitibus cesserunt, vt hac ratio-
ne Lutherum, Melanchthonem, caeterosque
ad probandum Regis diuortium inducerent.
Quâ in re vehementer quidem, magnoque
cum

cum affectu laboratum fuit; verum irrito ANNO
 conatu; quod negotium ijs esset difficultati- 1535.
 bus impeditum, quas expedire Melanchthon *Cam. p. 158.*
 & cæteri non potuerunt. Iam verò & in Au-
 gustanâ Cõfessione, quam Cæsari Protestan-
 tes obtulerant, eiusdemque Apologia quædã
 continebantur dogmata, quæ Rex Angliæ *Petit Me-*
 recipi non posse iudicabat, nisi priuatis Do- *lanchtho-*
 ctorum virorum colloquijs temperata prius *nem in An-*
 & emollita. Itaque Legati postularunt à Pro- *gliam ab-*
 testantibus Regis nomine, vt quosdam è suis *legari.*
 rerum diuinarum peritos, imprimis Me- *Sleid. lib. 10*
 lanchthonem, in Angliam ablegarent, qui
 cum Theologis istius Regni de religione
 conferrent.

Agebant Protestantes id temporis, Aprili *Conuētus*
 mense scilicet anno 1536. conuentus Franco- *Protestan-*
 furti ad Menum, vbi designati sunt, qui pro- *tium Fran-*
 ficiscerentur in Angliam, & desiderio Regis *cofurti.*
 satisfacerent, Iacobus Sturmus, Melanch-
 thon, Bucerus, & Ioannes quidam Draconi-
 tes. Erat iam notus Regi Melanchthon per
 litteras, & libellum quendam, vti diximus,
 anno superiore dedicatum. Neque verò pro- *Delecti*
 fectionem istam honestè recusare potuit, *Protestan-*
 cum accepto, quod Rex pridem illi donaue- *tiū ad An-*
 rat, insigni munere vicissim operam suam & *gliæ Regē,*
 studium obtulisset. Interim terrebant illum
 vestigia suppliciorum, quæ propter impro-
 batum Regis ab vxore, & à Sede Romanâ
 diuortium in Roffensem Episcopū, in Thō-
 mām Morum, aliosq; religiosos anno superiore
 proxi-

ANNO proximo constituta nouerat. Itaque sollicitus erat & perplexus, cum huius itineris o-
1536. nus sibi quoq; inter alios ad Legatorum in-
Melanch- stantiam impositum audiret: Quanquam ab
thon seue- eâ sollicitudine paulò post liberatus fuit.
ritate Re- Antequam enim itineri se cõmitteret, nun-
gis ab iti- ciatum fuit ex Anglia, Reginam, vxore vi-
nere deter- uente superinductam, Annam Boleniam E-
retur. lisabethæ matrem iussu Regis truncatam ca-
 pite, meritas adulterij atque incestus pœnas
 luisse. Is casus Melanchthonem & cæteros à
 profectiois Anglicanæ molestijs & pericu-
 lo liberauit.

III. Cæterum aliud quoddam hoc anno sulcè-
Cam. in vit. pit iter, quod diu meditatus fuerat; in patriã
Mel. p. 169. scilicet, ad suos, ac deinde Tubingam, quo
 In patriam abiturit. vocatus ante biennium ab Vlrico Principe
 non venerat, per Electorem Principem im-
 peditus, qui missum facere tum quidem no-
 luit. Migrauerat Norinbergâ Tubingam
 Ioachimus Camerarius, qui bonas litteras
 isthic profitebatur. Ad hunc igitur velut
 Camerariũ in itinere inuifit. amicum intimum diuertit Melanchthon, &
 A Wirten- ad vnum ferè mensem hæsit Tubingæ. Vl-
 bergico ricus Dux aduentantem clementer admo-
 benigne dum excepit, & complexus est humanissi-
 excipitur. me; cumque retinere eum non posset, vsus
Cam. p. 159. est ipsius operã in ijs, quæ pro ratione tem-
 porum mutanda videbantur. Habuit huius
 itineris Comitẽ Iacobum quendam Mili-
 Eius Co- chium, quem multum amabat, velut vnum
 mes Mi- ex ijs, quos habebat sibi vehementer addi-
 lichius. ctos.

Etos. Dum igitur cum Milichio peregrina- ANNO
tur, & in patriâ nonnihil hæret ad Remum, 1536.
& in Svveuiâ Tubingæ, varij de eo sermo-
nes sparsi fuerunt.

Innotuerat iam, vtcunque mentis arca-
num tegetet, quod inuitus & cum fastidio
VVittenbergæ viueret inter eos, qui parum
benigno erant in ipsum affectu: à quibus in
suspicionem vocatus erat, quasi defectionem
moliretur ab Euangelio, & Pontificem pri-
dem explosum reducere cogitaret. Hi igitur
partim per litteras, partim sermonibus dis-
criminatis rumore excitant: Dissentire
Melanchthonem à Luthero, & plerisque ca-
teris VVittenbergenfibus in religione; nec
aliam ob causam hoc iter suscepisse, quam vt
honestè discederet, seque diuelleret tandem
ab eorum consortio, à quibus animo disside-
ret. Quæsiturum nunc locum, quo seipsum,
suosque transferat, vbi liberius possit opini-
ones suas expromere: Quam rem diu animo
volutarit, solutusque vinculo, quo Principi
erat obstrictus, negotium religionis non ex
aliorum arbitrio, sed ex genio suo tractaret.
Hæc quidam ex rigidioribus Lutheranis:
Alij qui mitiores erant, gliscere dicebant
diffidentiam quandam inter Melanchtho-
nem, cæterosque VVittenbergenfes, & suspi-
ciones pullulare, quod ille plusculum in Pa-
pistas propenderet: Nec futurum vnquam,
vt fidant alijs alijs deinceps, vel animi rursus
in solidum coalescant. Doctrinam illius ni-

Suspicio
Wittéberg.
de defecti-
one Me-
lanchtho-
nis.

In epist. ad
Cam. p. 272

Varij ru-
mores ri-
gidorum &
mollium
Lutherano-
rum de Me-
lanchthone.
Cam. p. 160.

ANNO
1536.

mis esse Philosophicam; vrgere Melanchthonē officia virtutis & actiones honestas; quod cum Lutheri doctrinā non conueniat. Itaque non expectandum, vt firma sit & stabilis inter vtrumque coniunctio, cum animis de summā rei dissideant.

Melanchthon vinculo professionis impeditur deficere.

Redit Wittenbergā.

Cam. in vita Mel. f. 171

Eius infortunium.

Mel. vit.

Mel. p. 337.

IV.

Controversia inter Cancellariū & professores facultatis Tubingensis.

Hunc in modum de Melanchthone disceptabatur inter eos, quos ille non agnoscebat iudices, sed vt hostes atque calumniatores auersabatur. Et sanè cupiuisset pridem ab horum societate liberari, vt suprā ex epistolā quadam ad Camerarium demonstraui-
mus: sed obstabat vinculum professionis, quod Princeps Elector relaxare prorsus noluit. Redijt igitur VVittenbergam ad professionem suam, vbi licet non suspectum se modo plerisq; sed & odiosum esse non ignorabat, nequaquam tamen mutauit sententiam ijs de rebus, in quibus à cæteris in diuersum ibat, vt sèpè diximus. Eodem anno, præterquam quod ab æmulis atque obtrectatoribus ad hunc modum diuexatus fuit, infortunium quoque passus est inopinato casu. Lapsus enim de gradibus, infimam dorsi partem, in quam vertebræ vel spodyli desinunt (os sacrum vocant) grauiter afflixit, perque dies aliquot, magnos sustinuit cruciatus; qui paulatim tamen resederunt.

Paulò post, quam Tubingā discessit, rebus in Academiā constitutis, vt diximus, exorta fuit inter Cancellarium Vniuersitatis Præpositum Tubingensem, & Professores facultatis

facultatum grauis controuersia, de titulis ANNO
 vel gradibus honorum Academicis; qui 1536.
 nisi per Cancellarium, vel quendam ab ipso *Cam. f. 163.*
 constitutum non possunt cuiquam in fa- Cancellarius renuit
 cultatibus decerni. Nam quia plerique de- conferre
 fecerant à religione Catholicâ, veterem do- gradus Lu-
 cendi formam ad Melanchthonis arbitrium theranis.
 immutauerant, Cancellarius potestatem
 conferendi gradus Academicos Professori-
 bus concedere recusauit: Imò cum vrgere-
 tur, indignabundus è ciuitate discessit.
 Postmodum huius rei gratiâ præcipui qui-
 dam ex Academia Professoribus ad eum
 missi fuerunt: Quanquam id frustra fuit,
 cum ipse persisteret in proposito, nec se
 pateretur à sententia dimoueri. Aiebat, Rationes
 discessum esse ab obedientiâ Romanæ Se- eius.
 dis, & à fide Catholicâ, vnaque ab ordine
 docendi tradito per manus à maioribus, &
 priuilegijs Pontificijs confirmato. Itaque
 iura, priuilegia, atque immunitates à Pon-
 tificibus concessas ad ipsos non pertinere,
 nec se promouendi facultatem illis conce-
 dere posse, nisi consulto prius Pontifice,
 ne hanc ipsorum defectionem probare vi-
 deatur.

Professores cum se frustra niti vide- Professores
 rent, factâ de iure Vniuersitatis pro- Lutherani
 testatione, Tubingam reuersi sunt: V- de iure V-
 bi deinde cœptum est consultari, quid niuersitatis
 facto opus esset in hac causâ; quæ va- protestan-
 ria fuit & impedita deliberatio, cum non tur.
 omnes

ANNO omnes idem sentirent. Quia verò Melanch-
1536. thon instituendæ mutationis præcipuus au-
 tor fuerat, hunc putarunt adhibendū in con-
 silium, & sententiam eius exquirendam. Igi-
 tur res totâ publico Vniuersitatis nomine ad

Melanch- ipsum per scripta fuit: Quæ litteræ Melanch-
thonē con- thonem non nihil sollicitum reddiderunt &
fulunt mu- perplexum. Nouerat priuilegium de confe-
rationis rēdis bonorum gradibus à Pontifice datum;
autorem. nec ignorabat academicos Tubingenses, qui
Cam. p. 164 defecerant à fide maiorum, huiusmodi pri-
 uilegio per rebellionem in Sedem Roma-

Illius ad nam, excidisse. Hæsit igitur, incertus quid in
eosdem re- hoc negotio consuleret. Tandem, re cum a-
sponso. lijs communicatâ, Tubingensibus respondit
 in hanc ferè sententiam.

Summa
litterarum.

Ecclesiam Dei scholas habentem, & con-
 uentus siue collegia eorum, qui bonas artes
 & honestas disciplinas doceant discantque,
 posse adeoque debere auditoribus dare testi-
 monia publica: Quod initio statim velut
 extra controuersiam positum. Hoc ipsum,
 ait, testari consuetudinem publicarum litte-
 rarum, quas formatas nominant. Extare
 quoque decreta quarundam Synodorum, ne
 sacerdotes vlli sine huiusmodi testimonijs
 recipiantur. Itaque & nunc Ecclesiam, quæ
 scholas habeat, & discentium cœtus, testi-
 monia dare, vel, quod idem esse iudicat, in
 Theologia promouere posse: Eâ de re pro-
 fus nihil dubitandum. Neq; verò hic dispu-
 tandum, ait, de priuilegijs, vel de iure annu-
 lorum

Eius de
promotio-
nibus Vni-
uersitatis
sententia.

nulorum aureorum. Non opes & voluptates ijs esse quærendas, sed crucem subeundam & ærumnas, qui mittuntur ad prædicandum Evangelium. Huiusmodi promotiones in Theologia fuisse Patrum, Prophetarum, & Apostolorum temporibus, imò & postmodum florentibus Ecclesijs, Alexandrinâ, Antiochenâ, Cæsariensi, longè antequam per Imperatores atque Pontifices aliquid fuerit de Academijs constitutum. Ad reliquas facultates quod attinet, scire se, quæ nunc sint opiniones vsitatae; nec eum esse, qui cupiat mutari præsentis politias, nec rixari velle cum ijs, qui hanc Academicæ politiae formam tueantur. Interim, quod scholarum publicarum status autoritate Pontificiâ atque Imperatoriâ, datis privilegijs confirmetur, eâ trecentorum circiter annorum esse consuetudinem. Favere se honestis moribus; sed arbitrari tamen, ne Parisiensem quidem Academiam initio Pontificum atque Imperatorum decretis fundatam fuisse. Cæterum hanc suam esse sententiam: Vnamquamque Rempublicam, & eum, penes quem summa rerum est, instituere posse collegium aliquod docentium atque discipulorum: Imò ut hoc faciant eos obligari, quorum est fortuna lautior, & opes magnæ. Atque id collegium auditoribus dare testimonium optimo iure posse: nec aliud esse scholasticæ dignitatis gradus, quam huiusmodi testimonia. Quod si forte disputetur de lege generali, eam iam latam esse,

ANNO 1536.

Ab exemplis demonstrat.

Eius de privilegijs responsio.

Ius instituendi collegij cuius Reip. concedit.

ANNO 1536. **Allegat legem Valentin. Imp. de professoribus.** vt scilicet approbati à suis collegijs artes exerceant: Quemadmodum Imperatoris Valentiniani pulcherrima lex testetur de Professoribus. At futuros forsàn ex Iureconsultis & Medicis, qui communi hac Collegij auctoritate nolint esse contenti: Cum his nolle se rixari; quanquã & in Philosophicis studijs, ait, seruari posse gradus decernendis titulis; si tamen omnium artium Magistri & Professores adsint. Certè scholam Atticam diu ante testimonia dedisse, quam ab Imperatoribus hoc sanciendo confirmaretur. Iam verò & considerari causam oportere, cur in Academia Tubingensi facultas conferendorum graduum Professoribus denegetur. Esse

Causam affert denegatorum graduum.

nimirum, qui propagari nolint euangelicam doctrinam; eamque ob causam personis quibusdam & collegijs inimicos esse. Itaq; Principes religionē istam (Lutheranam) amplexos & ciuitates, vt officij sui partes exequantur, honesta instituire debere collegia docentium, discentiumq; bonas litteras & artes: Ea deinde Collegia, vt iam dictum sit, testimonia dare posse: Imò æquum esse, vt id faciant, vel vt docti atque eruditi emineant, honoribus aucti, vel ne rudes per audaciam alijs imponant; ex quo fieri possit, vt iuuentus corrumpatur praua institutione, & falsa serantur dogmata, Ecclesiæque simul & Reip. tranquillitas perturbetur. Cum Iulianus Christianorum filios per editum ad scholas publicas admitti prohiberet,

Ab exēplo Iuliani cōfirmat.

beret, Christianos ipsos peculiare suo- ANNO
 rum cœtus instituisse. Neque verò dicen- 1536.
 dum, quod auditoribus in istis cœtibus te-
 stimonia dare non licuerit. Hæc Me-
 lanchthon, viam monstrans Tubingen-
 bus, vt si Cancellarius Vniuersitatis ob-
 mutatam religionem conferre nolit hono-
 res Academicos, ipsi nihilominus audi-
 toribus suis testimonia (gradus promo-
 tionum) sua, vel Principis autoritate de-
 cernant. Adiunxit vero litteris suis & Lu-
 theri iudicium de quæstione proposi-
 tâ, & Pontani Iureconsulti, testatus
 alios quoque nonnullos istius profesio-
 nis in eadem esse sententiâ. Interim cau-
 sam hanc ad Iuridicæ facultatis conci-
 lium in Academiâ VVittenbergeni re-
 ferre noluit; quod suspectos haberet è
 Iureconsultis nonnullos, qui Ius Pon-
 tificium à Luthero redactum in cineres
 ad scholas publicas reducere conaban-
 tur. Hi enim, quin in consultatione tue-
 rentur iura Pontificis, & contra Tubin-
 genes Academicos suffragia ferrent, mi-
 nimè dubitabat. Itaque non Iuridicæ fa-
 cultatis sententiam sciscitatus est, sed pri-
 uatim quorundam Iureconsultorum, quos
 adhærere nouis opinionibus, & Pontificem
 auersari nouerat. Quod autem in promotio-
 nibus academicis, vel gradibus in Theolo-
 giâ per Collegium scholasticum decretis
 i 2 funda-

Adiungit
 Lutheri &
 Pontani
 I.C. iudiciâ

Iurecon-
 sultos qua-
 re suspe-
 ctos ha-
 buerit.

ANNO
1536. & 37.
Lut. in quo
fundamen-
tū suæ vo-
cationis
posuerit.
Controuer-
sia Tubin-
gensis per
viam iuris
expedita.

fundamentum ponit missionis ad prædican-
dum Euangelium, id à Luthero haussisse vi-
detur, qui non in ordinatione vel consecra-
tione ad sacerdotium, quā à diabolo persua-
sus exhibilauit velut ethnicam, sed in gradu
doctoratus à Carlostadio suscepto, vocatio-
nis suæ basin constituit. Cæterum ad contro-
uersiam Tubingēsium quod attinet, ea post-
modum velut per viam iuris expedita fuit,
atque hoc actum, vt Cancellario, postquam
requisitus esset, officium nō exequente, alius
quidam autoritate Principis ordinariā sub-
stitueretur.

CAPVT XII.

- I. *Conuentus Smalcald. Protestantium, Conci-
lium Pontific. recusantium, cū summa col-
loquij ibidem habiti.*
- II. *Summula doctrinæ Protestantium à Luthe-
ro concepta, cum sententia Mel. de iuris-
dict. Episcop.*
- III. *Hæresis Antinomorum.*
- IV. *Mollities reprehensa & astronomiæ iudicia-
riæ studium Melanchthonis, à Sadoletto in-
dignantibus Lutheran. salutari.*
- V. *Historia Lemnij Poetæ, sub magistratu Aca-
demico Melanchthonis VVittenbergam re-
linquere cogitantis.*

I.

Anno 1537.
Cōuentus
Protestan-
tiū Smal-
caldiæ.
Camer pag.
197. & seq.

ANNO sequente 1537. Protestantes Smal-
caldiæ conuenerunt, adductis secū, aut
vocatis magno numero cōcionatoribus, sci-
licet, vt eodē loco Comitia simul & synodū
habe-

haberent. Paulus Tertius Pōtifex Romanus ANNO
 Mantuę Conciliū indixerat, ad quod Luthe- 1537.
 rani quoq; non modo per Pontificem ipsum,
 sed & per Cæsarem erant vocati. Fuit igitur
 hic cōuentus eam ob causam indictus maxi-
 mē, vt quid Pontifici respondendum esset, &
 Cæsari ad concilium vocantibus, communi-
 catis inter se cōsilijs statuerent: tum vt Con-
 cionatores, institutā de fidei capitibus accu-
 ratā collatione, domesticis dissidijs adhibe-
 rent remedium, & quibus in rebus aduersarijs
 cedendum esset, quibus non esset cedendum
 deliberarent.

Causæ con-
 uentus.
Sieid. lib. II.

Vbi ad rem ventum est, eum finem habuit
 cōsultatio Principum, vt Concilium hoc in-
 dictum à Pontifice simpliciter recusarent:
 A Cæsare verò, dicerent, postulandum, vt is
 liberam indici synodum in Germaniā cura-
 ret. Concionatores verò, quos frequentes ad
 habendā synodū Principes euocarant, sopiē-
 dis dissidijs vix ausi fuerūt admouere manū.
 Metuebant scilicet, ne si pressi cōtrectarent
 subcutaneum hulus illud, malum incrudef-
 ceret, & dissidia per actionē hanc disceptan-
 tium feruore, velut incendium flatu, vel oleo
 infuso caminus grauius accēderētur. Actio-
 nis vniuersæ summam, Melanchthon in epi-
 stolā quadam descripsit; ex quā visum fuit
 inserere, quæ ad hanc rem faciunt: Cum sci-
 rem, inquit, conuentum indictum esse, vt
 Principes de synodo deliberarent, nos de
 doctrinā colloqueremur; Veni huc animo

Concilium
 Pontificum
 simpliciter
 recusant.

Summa
 Actionis
 Smalcaldie
*In epist. ad
 Cam. f. 279.*

ANNO
1536.

mirificè anxio. Nam qualia Principum consilia futura essent, præuidebam. Et, si certamen acrius existeret inter Theologos, discordias videbam futuras horribiliores. Non enim ignoro, quo propendeant animi certorum, & quibus suam fabulam finguli saltent. Venerunt huc Lutherus, Pomeranus, Spalatinus, Osiander, Vitus, Urbanus Regius, Ambsdorffius. Nam reliquos nomine nihil attinet. Ex ijs, qui dissentire à nostris putantur, nemo adfuit, præter Blarerum & Bucerum. Duæ autem causæ fuerunt instituti congressus Theologici: Altera, ut de doctrinâ, fieret collatio non futilis, sed accurata, ut tollerentur dissidia, & cõsentiens doctrina & explicata in nostris Ecclesijs extaret. Altera, ut deliberaretur, qui articuli ad extremum defendendi sint ac retinendi, & anteponendi communi tranquillitati, & omnibus rebus humanis; qui concedendi Pontifici $\kappa\iota\tau\omega\ \epsilon\kappa\kappa\lambda\eta\sigma\iota\alpha\sigma\iota\kappa\omega\ \pi\omicron\lambda\iota\tau\epsilon\upsilon\mu\alpha\tau\iota$ propter pacem, & ad communem Ecclesiæ concordiam restituendam, si res ad moderationem aliquam deduceretur. Honestissimum certè consilium institutæ vtriusque disputationis, & ortum de multis nostris querelis & sermonibus: Sed neutra processit. Primum de rebus concedendis nullam prorsus volebant fieri mentionem indocti & vehementiores. Aiunt ob futuram nobis nunc in ipsâ $\epsilon\pi\iota\tau\alpha\sigma\epsilon\iota$ fabulæ inconstantiae opinionem, non solum apud alios, sed & iam apud no-

nostros : futurum etiam , vt cedentibus ANNO
 Cæsar acrius instet. Hæc pariunt suspi- 1536.
 ciones bonis & moderatis multiples, & "
 sollicitudines augent. Deinde, ne doctri- "
 na accuratè conferretur, nominatim peti- "
 tum est ; ne certamen aliquot augetet "
 discordias, & fœderis distractionem affer- "
 ret. Vidi hæc pericula impendere, prius- "
 quam huc veniremus ; ac monui no- "
 stros : Sed erant pleni bonæ spei. Proin- "
 de hic ne nihil ageremus , ac planè κῶρα "
 πρόσωπα essemus , iussi sumus compone- "
 re aliquid de Petri, seu Pontificis Roma- "
 ni primatu , de potestate & iurisdictione- "
 ne Episcoporum. Hæc scripsi mediocri- "
 ter & exhibui. Iussi sumus *παρρησιασ* per- "
 currere articulos confessionis , & audire, "
 ecquis dissentiat in aliquo articulo, aut im- "
 probet aliquid : Ac Principes disertè te- "
 stati sunt , se formulam concordiae con- "
 seruaturos. Fuit breue colloquium *περὶ* "
τῶν μυστηρίων dixit Bucerus clarè & pla- "
 nè ; affirmans præsentiam Christi , satis- "
 fecit nostris omnibus , etiam ijs qui sunt "
 duriores. Blarerus generalia sic satis, ad- "
 esse Christum. Postea quædam addit am- "
 bigua. Osiander vrgebat eum paulò a- "
 crius : Sed quia nolebamus excitari cer- "
 tamen vehementius , interpellavi dispu- "
 tantem. Ita discessum est, vt inter cæteros "
 omnes consensus constitutus sit ; hic verò "
 (Blarerus) non repugnare videretur. "

ANNO
1537.

Scio hæc esse infirma; sed aliud agi hoc tem-
 pore non potuit; præsertim absente Luthe-
 ro, qui doloribus calculi acerrimis conflicta-
 batur. Hæc fuit *καταστροφή* congressus τῶν
μυσάγωγῶν. Principes deliberarunt, An Sy-
 nodus præcisè recusanda sit, an verò promit-
 tendum, nos missuros esse nostram legatio-
 nem; sed non concessuros iudicium Pontifi-
 ciæ parti, verū petituros, vt Regum & Mo-
 nacharū autoritate delecti homines idonei,
 cognoscerent has cōtrouerfias. Hæc fuit ma-
 gna & difficilis deliberatio. Nostra sententia
 semper fuit, ne simpliciter recusaretur syno-
 dus: Quia etiam si Papæ non liceat esse iudi-
 cem, habet tamen ius indicendæ synodi: De-
 inde iudicium constitui à synodo debet. Sed
 homines acutiores disputabant, has meas ra-
 tiones argutas quidem esse & veras, sed inu-
 tiles. Eam esse tyrānidem Pontificis, vt post-
 quam cōsensissemus, nos venturos esse in sy-
 nodū, interpretaturi essent, nos etiam Pon-
 tifici tribuere iudicandi autoritatem. Vidi
 aliquid periculi esse in meâ sententiâ, etiam-
 si erat honestior; sed vicit altera sententia,
 re diu multumque disputatâ, vt hæc fatalia
 mihi videantur. Periculum esse video in-
 gentis motus, nisi Deus succurrerit. Quan-
 quam sæpè dixi, rectissimè eos tantum
 hac recusatione vti, si nolint quædam mo-
 derari, & concedere aliquid τῷ *ἱερατικῶν*
τάγματι. Illud mihi acerbissimum est, vi-
 dere hæsuram ad posteros discordiam æter-
 nam:

nam : Et hæc fortassis barbariem horribi-
lem, & vastitatem in hac natione omnium
artium & officiorum ciuilitum adferet. Ha-
ctenus Melanchthonis verba recensui ex lit-
teris, quas, cum Smalcaldiæ adhuc esset ad
Camerarium scripsit Calend. Martij.

Quo eodem die, & alias quasdam dedit ad
eundem Camerarium, in quibus eadem
ferè, sed breuius narrat : Venimus huc,
inquit, vt de doctrina colloqueremur : sed
id impediit partim Lutheri valetudo, quem
hic atrociter afflixit calculus, partim cer-
torum hominum timiditas, qui accuratam
disputationem prohibebant, ne discordiæ
inflammarentur. Itaq; admodum *παρεργως*
contulimus, de doctrina Blarerus modera-
tam dixit sententiam *πρὸς τῶν μυστηρίων*, nec
tamen satis explicatam. Nolui certamen
acrius excitari, præsertim absente Luthe-
ro. De Synodo dixerunt illiterati *φροσι-
κας* sententiâs : præcisè recusant ; cùm nos
toto semestri contrarium suaserimus, at-
que hic etiam reclamauerimus. Hæc Me-
lanchthon ex Synodo Smalcaldensi : In
qua ne de sopiendis Lutheranorum dissidijs
ageretur, aut iusta fieret sententiarum col-
latio, metus grauioris discordiæ nouorum-
que motuum impediuit. Itaque valde *πα-
ρεργως*, vt loquitur Melanchthon, vel obiter
modo fuit actum de dogmatibus ; imò prohi-
bitum, ne qua fieret exactior de religione
disceptatio.

ANNO

1537.

“

Eiusdem
Colloquij
summa
breuior.

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

ANNO

1537.

II.

Luth. de-
mandatur
polianda
summa
doctrinae
suae, Con-
cilio offe-
renda.

Melancht.
de primatu
& iurisdic-
tione pō-
tif.

Augustanae
Confessio-
ni subscri-
bunt.

Luth. de-
creta quae-
dam effin-
git.

Melancht.
limitatio.

Interim ne frustra conuenisse viderentur tot ecclesiae Lutheranae proceres, Luthero mandatum fuit, vt breuem doctrinae summam scriberet, Concilio Mantuano nomine Protestantium offerendam. Deinde Melanchthoni hoc oneris impositum, vt de primatu Romani Pontificis, & episcoporum iurisdictione quaedam commentaretur. Demum & Augustana confessio cum Apologia perfunctorie relecta potius quam accurate recensita fuit, quaesitumque an esset in ea quicquam, quod cuiquam displiceret? Cumque se, dicerent qui praesentes erant, omnia probare, subscriptis nominibus famam publici consensus excitarunt: quanquam erant e numero subscribentium, qui Zvinglianisimam fouebant animo: Nec ipsi Lutherani satis inter se mutuo cohaerebant, tametsi consensum subscriptione testabantur: Nimirum vt ita facerent, commune periculum, & publicus rerum status postulabat. Iam & Lutherus, vt pareret mandato principum, articulos quosdam conscripsit, antequam morbo fuit oppressus, quos velut decreta synodi Smalcaldicae concionatores omnes quadraginta numero vel paulo plures, Zvinglianis tamen exceptis, approbarunt.

Inter eos vero, qui subscripserunt nomina, septimus in ordine fuit Melanchthon, qui solus omnium limitationem quandam adiecit de Pontifice Romano in hunc modum;

dum : Ego Philippus Melanchthon hos articulos suprapositos probo tanquam veros. Ad Pontificem autem quod attinet, sic sentio; si admittere velit euangelium, quod tunc pacis & publicæ concordia gratia propter Christianos, qui sub ipso iam sunt, & futuris temporibus esse forsan possunt, superioritas in Episcopos, quam alioquin habet, iure humano per nos illi sit quoque concedenda. Hæc limitatio magnum illi conciliauit odium inter Lutheranos, qui Pontificis autoritatem, quam in Episcopos sibi subiectos habet, ad ipsos quoque Lutheranae sectæ concionatores extendi per quam indignè tulerunt. Offenderat eadem concessione Lutheranos omnes ante septennium in Comitij Augustanis, tam post in deliberatione de Concilio, quod per Pontificem indictum erat, vti suprâ diximus; Verùm ille, tametsi paucos admodum, vel nullos potius haberet astipulantes; imò licet magna sui cum inuidia secretum mentis proderet, non dissimulauit tamen, quid de necessitate hierarchici ordinis in Ecclesia sentiret; Nec se passus est ab hac sententia dimoueri; quemadmodum hæc subscriptio testatur.

ANNO

1537.

Tom. 6. l. 1. en.
germ. f. 522.

Plurimos
è sociis offendit.

Cæterùm Melanchthonis hoc iudicium de iurisdictione Episcoporum in Ecclesiâ, deq; vnus cuiusdam in eos autoritate atque primatu, Sacramentarij per Angliam postmodum

Anglicani
retinent
iurisdictionem
ecclesiasticam.

secuti

ANNO
1537.

Eorū Pon-
tifex Rex.

Item Regi-
na Elisa-
betha.

Quales
Pontifices
Anglia ha-
beat.

secuti videntur, qui non retinendum modo
statum Episcoporum, sed & contra Gene-
uenses, Bezam, aliosque fortiter defenden-
dum censuerunt: Idque sub vno capite, Rege
nimirum Anglicano, qui remoto Pontifice,
Christi Vicario sibi ipsi præter diadema re-
gium, & Põtificalem infulam imposuit: Quã
nostris temporibus, exemplo seculis omni-
bus inaudito (nisi forsan apud hæreticos) &
mulier Angliæ regina gestavit, vberimo
multorum martyrum sanguine, ceu gemmis
interstinctam. Didicerunt isti à Melanch-
thone, non abolendum in Ecclesia, sed stabi-
liendum potius episcoporum ordinem; eum
verò subsistere non posse, nisi sit vnus quidã,
quem omnes velut superiorem agnoscant.
Ad hanc igitur formam Ecclesiæ suæ statum
in Angliã composuerunt. Habent episcopos
suos, habent & pontificem; At non quales ex
instituto iam mille quingentis annis & am-
plius habuit Ecclesia Dei, sed quales consti-
tuere Sacramentarijs collibitum fuit; profa-
nos episcopos, & secularem pontificem, qui-
bus in res sacras, & ad gubernandam Eccle-
siam tantum iuris est, quantum Henricus
Octauus à communionem Sedis Apostolicæ,
per inobedientiam sine causa diuulsus, vsur-
pare sibi ipsi, & alijs dare potuit. Igitur quẽ-
admodum habent fauos suos vespæ (cũ
Tertulliano loquor) ita & apud istos for-
mam quidem inuenias Ecclesiasticæ illius
hierarchiæ, quam Melanchthon conserua-
tam

tam voluit; at rem ipsam, hoc est, veri nomi- ANNO
nis episcopos non inuenias, quos sustulerunt 1537.
è medio, eorumq; deinde cathedras per vim
occuparunt.

Sed missis ijs, ad Melanchthonem reuer- Melancht.
tamur. Is dum Smalcaldia morabatur, Au- Augustam
gustam vocatus fuit per Senatum illius vr- vocatur.
bis; in qua, VVittenbergenfibus in consilium
adhibitis, religionis mutatio fuerat ante tri-
ennium instituta: Quod cum fieret, quidam
etiam è Zvinglianis in eam ciuitatem irre-
pserunt. Melanchthon verò, quo minus ist-
huc proficiscerentur, multis se grauibusque
causis permotum fuisse scribit.

Sub hoc tempus inter Lutheranos nouum III.
quoddam monstrum sese prodidit execran- Renuit ve-
daè hæreseos, qua, si Luthero credimus, sol nire.
foediorem non vidit vel nocentiolem. Hanc In lit. ad
Ioannes Agricola Islebiensis, Iacobus Schenc- Cam. p. 284
kius, alijque factionis istius per Saxoniam Hæresis
vicinamque Marchiam propagarunt; quibus Antinomo-
Antinomorum nomen indidit Lutherus, rum in pu-
quod reijceret diuinam legem, & decalogum blicum va-
ex Ecclesia noui testamenti contenderent dit.
penitus explodendum. Impium hoc dogma Tom. 7. ger.
è fœtentibus veterum hæreticorum lacunis Ien. f. 302.
deriuatum, Lutherus superiori seculo pri- Eorum
mus omnium sparlit; è cuius scriptis atque dogmata.
intimo pectore nostri temporis Antinomi Luth. An-
fese illud hausisse profitentur. Nec iniuria sa- tinomia
ne; quemadmodum euidenter à nobis est in auctor.
vita Lutheri demonstratum. Multum verò
labo-

ANNO
1537.

Inuehitur
horrendè
in Antino-
micos.

Melancht.
scenæ spe-
ctator.

Concio
Luth. in
Antinomi-
cos.

In ep. ad
Cam. f. 292

laborarunt VVittenbergenses , vt hæresin istam opprimerent, antequam radices ageret in animis hominum , atque altius infideret. Et Lutherus quidem anno 1537. vbi primum erumpere cœpit hoc malum , primus omnium Antinomus aggressus est, eorumq; blasphemias , & errores in concionibus ad populum confutauit ; ardentem quidem more suo, magnoque cum impetu , verum ita tamen , vt satis animaduerneret, nullum se vibrare telum in eos posse, quo non & seipsum vnâ configeret.

Melanchthon , cùm Lutherum in eas angustias redactum videret , suspensus non nihil obseruabat , quorsum exiret tandem hæc Antinomorum machinatio. Habuit Lutherus in eos concionem , in qua pro Decalogo, eiusq; in Ecclesia retinendi necessitate, contra nouatores istos multa differuit; atq; id ita quidem , vt quæ primis annis in hoc genere docuerat, nunc euerteret prorsus , & velut hæretica condemnaret. Hanc concionem vbi typis expressa fuit, Melanchthon Camerario suo misit, epistolam adiungens, in qua; mitto, inquit, eruditam concionem *ἡ δὲ διδασκαλικὴ* Lutheri, quam eò habuit, vt refutaret *τὰς κενοφωρίας* cuiusdam (Ioannis Agricolæ, qui negat in Ecclesia Decalogum docendum esse. Ego plecterer, si hanc Concionem scripsissem ; adeò sunt insulsa iudicia populi. Hæc Melanchthon. Quod verò se plectendum , ait, si talia scriberet ; id asse-

asserit summa ratione, per experientiam nimirum edoctus. Eam enim ob causam maximè Lutheranorum quorundam obloquijs, calumnijs, detractionibus flagellatus fuit ab annis aliquot, quod de lege divina, de bonis operibus, de studio virtutum ea scripserat, quæ Luthero alijsque probanda nunc fuerunt, nisi vellent videri horrendas Antinomorum blasphemias aperte tueri.

Interim durum Luthero fuit, cæterisque ipsius mancipijs, quod per domesticos eò se viderent adigi, vt hoc ipsum doctrinæ genus hæreseos, atq; impietatis damnare cogerentur, quod sub initium huius mutationis velut ipsum euangelij nucleum, & medullam Christianismi purioris, plenis faucibus tam confidenter ebuccinarant. Videbat quidem, id sine scæda leuitatis & contradictionis macula fieri non posse: Faciendum tamen fuit, Deo disponente, vt eos manifestum fieret in eorum numero censendos, quos D. Paulus ἀνόματους καὶ κηρύττους vel suo ipsorum iudicio condemnatos nominat.

Certè Lutherus neminem alium in Antinomis, quam Lutherum vel seipsum anathemate notauit. Qua in re Melanchthonem ipso cautiorem fuisse fatendum est, & magis circumspexit: Qui maturius deflexit ab impijs istis assertionibus & paradoxis de lege Dei, de libertate fide-

ANNO
1537.
Cur fannis
Luthera-
norum
Melanch-
thon ex-
positus.

Luth. suo
se gladio
ferit.

Seipsum a-
nathemate
damnat.

Melancht.
Luth. cir-
cumspe-
ctior.

fide-

ANNO
1537.

fideliū, de charitatis operibus non necessarijs ad salutem; quibus spargendis oua posuerunt isti, quæ rupta nunc tandem basilicum hunc Antinomicum peperunt.

Islebius ad
palinodiã
adigitur.

Cæterùm Lutherus non in cathedra modo, sed in scholis etiam Antinomios vehementer insectatus est, & tandem Ioannem Islebium, qui caput erat istius factionis, ad palinodiam autoritate sua cõpulit. Verum quia iam longius serpserat malum istud, & in

Melancht.
Frãcofurti
conatur
Antino-
miam tol-
lere.

Marchia quoque Francofurtensem Academiam infecerat, Melanchthon istuc profectus est, vt dementatos antinomicis erroribus in viam reduceret. Is verò conatus non admodum feliciter cefsit, vti littere quædam ipsius testantur, quas Francofurto dedit ad Lutherum: In quibus acerrimum sibi certamen fuisse queritur cum Antinomis; quos

Tom. 2. lat.
Colloq. f. 52.
¶ 54.
Ei⁹ ad Lu-
th. litteræ.

vehementer, ait, satagare rerum suarum, & multorũ animos occupare: Insanire per eos, & furere diabolium instar meretricis exacerbata, quæ versa sit in rabiem, ac furijs agitur. Nihil igitur effecit Melanchthon, Anti-

Conatus
eius fru-
straneus.

nomis acerrimè repugnantibus, & causam suam agentibus ad eum modum, vt multos in consortium erroris omniũ scedissimi pertraherent: Quæ res illis hoc nomine cefsit

Antinomi-
ci ad aucto-
rem Luth.
prouocãt.

foelicius, quod audacter ad scripta Lutheri prouocarent, seq; cum illo dicerent eandem de iustificatione sententiam profiteri; atque hoc agere solum, vt Christo Saluatori cõstet honor suus, & Euangelium à lege iusto in-

teruallo disiungatur.

Quan-

Quamquam verò Melanchthon furiosis Antinomorum machinationibus summa vi sese & ardentè obiecit; non potuit tamen, vel hoc studio gratiam eorum demereri, à quibus ignominiam editi tam portetosi partus remouere conabatur. Hi enim, zelotæ inquam, & rigidi Lutherani, qui de primo Lutheri spiritu vberius hauserant, & magno contra papistas impetu ferebantur, secretò persequi Melanchthonem, & genuinum illi dentem infigere nō destiterunt. Displicebat Aristarchis istis, adeoq; probri loco ducebāt, quod rixas auerlaretur & cōtentiones; quod non satis acer esset & vehemens in papistas; quod in actionibus cum aduersarijs de religione facilè mollesceret, & plura, quam ipsi vellent concedenda putaret, pacis & tranquillitatis studio, quod de Lutheranorum dogmatibus ita disliceret, quasi dubia sint & incerta; quod bonis operibus, & officijs charitatis tribueret plusculum, deque virtutibus multum philosopharetur: quæ res misurgis istis & virtutum osoribus indigna videbatur; cum hoc docendi modo, si nimirum homines ad honestas actiones, virtutumq; studium reuocarentur, Lutheranismi basin, & fundamenta dogmatis de iustificatione, quæ Lutherus initio posuerat, euerti iudicarent.

Præter hæc & alia quædam in Melanchthone reprehendebant æmuli; quod scilicet disciplinis mathematicis animum intēderet,

k

impri-

ANNO

1537.

IV.

Melancht.
à zelotis
exagita-
tur.

*Cam. in vi-
ta Mel. p.*

170.

Eius mol-
lities & a-
nimus pa-
cificus.

In ep. ad

Cam. p. 275

In epist. ad

Cam. pag.

277. 278.

ANNO
1537.
Melancht.
astrono-
miæ iudi-
ciariæ in-
tentus.

Aliorum
calumniis
expositus.

Ibid. f. 293.

A Sadole-
to Episco-
po saluta-
tur.

imprimis verò astronomiæ, quam iudicia-
riam vocant; quod vanis obseruationibus,
augurijs, diuinationibus, adeoq; chiroman-
tia delectaretur; quod obseruaret somnia,
ijsque plus æquo tribueret: quam ob causam
non modo reprehensus fuit ab aduersarijs,
sed & mordaciter exagitatus & ludibrio ha-
bitus. At præcipuum excusationis caput e-
rat, quod cum asperior non esset in aduersa-
rios, & de virtutum actionibus disputaret,
ad papismum inclinare videretur. Itaque lu-
spectas habebant ipsius actiones, & intentis
oculis obseruabant omnia, quæ ab ipso ge-
rebantur: Idque tanto studio, vt subinde per
istorum calumnias in periculum vocaretur.
Nec continere se potuit impotentis animi
liuor, & feruens odium in zelotis istis, quin
arrepta quauis occasione velut ex insidijs ad
flagellandum Melanchthonem profilirent.

Accidit circa tempus illud, quo Smal-
caldiæ synodus habebatur, vt Itali quidam,
viri docti & Catholici per litteras eum sa-
lutarent: Inter quos & Iacobus Sadoletus
fuit, Episcopus Carpentoraënsis, vir ma-
turus, prudens, & insigniter eruditus; poli-
tioris verò litteraturæ cum primis amans:
Vnde factum est, vt Melanchthonem, ceu
virum in hoc studij genere, vel inter primos
celebratum, benigno affectu complectere-
tur.

Hic igitur Sadoletus cum Cardinalis iam
creatus esset, litteras ad eum dedit an. 1537.

15. Ca-

15. Calend. Iulij, humanitatis & beneuo-
 lentiāe plenas, perelegantes etiam, & niti-
 do stilo exaratas; quas ille, vt fit, amicis vi-
 dendas dedit & perlegendas. Ea verò res
 excitauit denuo Philippomastyges, rigidos
 Lutheranos, vt pergerent, quod pridem
 cœperant, obrectare Melanchthoni; quem
 aiebant cum papistis, imò cum Cardinalibus
 euangelij Lutherani hostibus acerrimis con-
 fusurrare: Ab his misitari frequentes ad eum
 epistolas: Hos illi familiares esse; cùm in-
 terim à domesticis, qui Augustanam Con-
 fessionem profiteantur, in dogmatibus dis-
 fideat, & animo sit prorsus alieno: Qua ex re
 quid aliud colligi possit, quam Melanch-
 thonem ad partes aduersariorum propende-
 re, futurumque demum, vt nactus occasio-
 nem transfugiat. Erat Melanchthoni permol-
 lestum, huiusmodi suorum obrectationibus
 perpetuò diuexari, eorumque virulentos sen-
 tire vel morsus, vel aculeos. Cohibuit se ta-
 men, & de iniuria questus inter quosdam
 ex intimis, publicè rem totam dissimulauit:
 Quanquam hoc ita fieri non potuit, quin
 subinde, quæ cum æmulis & obrectatori-
 bus illi fuit dissensio, quibusdam indicijs
 proderetur.

Anno 1538. Melanchtho summum in aca-
 demiâ VVittenbergenſi magistratū gessit ad
 semestre: Quo tēpore tumultus quidā exor-
 tus est; cuius inuidia, vt ipsum quoque Melanch-
 thonē nō nihil tangeret, maleuolorū impro-

ANNO

1537.

Eius ad Melanchth.
 litteræ.

Arguitur
 confusurræ
 tionis cum
 papistis.

Patienter
 fert aduer-
 sariorum
 iniurias.

V.

Ann. 1538.

Cam. in
 vit. Mel.
 pag. 180.

ANNO
1538.
Historia
Simonis
Lemni.

Eius Epi-
grammata.

Luth. bilē
mouent.

Ob furorē
Lutheri,
secedit.

Fugam ei⁹
indignē fe-
rūt æmuli.

Eius inui-
dia in ipsū
Melancht.
redundat.

bitas effecit. Poëta quidam Simon Lemnius Marchita circa festum Pētecostes epigrammata quædam edidit, in quibus laudauerat Archiepiscopum Moguntinum Albertum, Brandenburgicæ familię principem, & fœminas V Vittenbergenses, solutas, maritatas, sine discrimine propter morū leuitatem poëticâ libertate fugillarat. Ea res mouit Luthe- ro bilem, alijsq; nōnullis, qui Lemnium carceribus mancipandum censuerunt, & seuerius puniendum, imò & plectendum capite; quam sententiam Lutherus in eum de cathedrâ pronunciauit, cū in octaua Pentecostes de negotio hoc, estuante stomacho, ad populum declamaret. Ille verò Lutheri furorem metuens subduxit se, priusquam apprehenderetur, & in tutum secessit. Aiunt, admonitum fuisse de periculo per Melanchthonē; Ita factum, vt elapsus, fuga machinationes aduersariorum eluderet. Vt vt fit, certè Lutherus alijsque nonnulli, qui Lemnio cum primis ob laudatum Archiepiscopū Moguntinum grauiter succensebant, indignē tulerunt & dolenter, quod elapsus misellus poëtaſter ſaluti conſuluiſſet. Augebat indignationem, quod Melanchthon ad alienum arbitriū odio proſequi nollet, & inlectari conuitijs eundem Archiepiscopum, quem Lutherus furibundo ſimilis, mordacibus spurciſſimisq; libellis, & ſœdiſſimis ſarcalmis ſcurriliter exagitabat: Quod factum Melanchthoni vehementer diſplicuit.

Natus

Natus erat è domo Brandenburgica princeps iste, & post Cæsarem in Imperio summum tenebat dignitatis fastigium; nec prudentia, rerum usu, iudicioq; minus pollebat, quam autoritate: Quin & insignem zelum habebat Catholicæ religionis, affectumque non vulgarem in homines litteratos. Hunc magnis dotibus ornatum principem Lutherus tibi proposuerat odio capitali prosequendum & conculcandum; nec ferre quenquam potuit, qui vel de eo loqueretur honestè, vel virtutes ipsius prædicaret. Tam atrox erat, tamque virulentum odium; quod non ipse tantum fouebat animo, sed & in alios quoquo pacto transfundere conabatur: Idque non aliam ob causam, quam quod Catholicus esset princeps, & furiosis ipsius conatibus obsisteret, nec se pateretur fraudulentis presentationibus & strophis ad apostasiam permoueri. Hunc igitur quia Lemnius, more poëtarum, encomijs quibusdam ornatum publicè commendauerat, Luthero iudice, piaculum admisit capitali supplicio vindicandum. Et quia Melanchthon, ut ab æmulis spargebatur, præsentis periculo misellum poëtam exemerat, imò & ipsi Moguntino fauere videbatur, papistarum in Germania coryphæo, eam ob causam denudò linguis maleuolorum & obrectationibus lancinatus fuit. Quæ res ita turbauit hominem, ut animo labasceret; nec dubium est, quin de relinquenda VVittenberga con-

ANNO
1538.
Brandenburgici principis ortus, doctrina & scientia.

A Luthero odio capitali afficitur.

Causa odii.

A Lemnio vero commendatur.

Melancht. animo cadit.



ANNO
1538.

De Wittē-
berga relin-
quenda
cogitat.

In ep. ad
Cam. p. 307

filium ceperit, nisi vinculo magistratus aca-
demici fuisset alligatus. Fatetur hoc ipse in
litteris, quas ad Camerarium hoc anno scri-
psit pridie Calend. Septem. postquam Lem-
nio ex Vniuersitate proscripto, tumultus iā
conquieuit. Nisi fuisset, inquit, hac æstate
in magistratu, planè discessissem. Nunc in
publico munere, ne tanquam ex statione fu-
gerem difficillimo tempore, multas habui
publicas causas. Itaque, vt medici dicunt,
multos magnos morbos curari quiete & ab-
stinencia, ita & ego patientia mea aliorum
iracundiam vtcunq̄ placasse videor. Causa
nulla fuit, nisi quod euaserat Lemnius, qui
quidem in me imprimis fuit maledicus, cum
multis meis officijs vsus sit. Aula suspicatur
à quodam meo propinquo adiutum esse; qui
se purgat mihi, sed illis non satisfacit. Hactē-
nus Melanchthon.

CAPVT XIII.

- I. *Conuentus Protestant. Brunsvvici, Isenacii
& Francofurti cum duritie & scripto Lu-
theranorum in Cathol. & Casarem.*
- II. *Morte Georgij Ducis Sax. mutatio religio-
nis in Misnia, visitatio, & disputatio Lipsia
instituta.*
- III. *Litteræ ad Venetos Melanchth. Lutheranis-
mum commendantis.*
- IV. *Eiusdem liber contumeliosissimus de autori-
tate Ecclesie.*
- V. *Mutatio religionis in Marchia Brandenbur-
gensis, opera & studio Melanchth.*

Pro-

Protestantes hoc eodem anno Brūsvvici
 primum in Saxonia mense Maio, post in
 Iulio & Isennaci, quæ Thuringiæ ciuitas est,
 Conuentus egerūt: Vtrobique de rebus ad no-
 uum fœdus pertinentibus deliberatum fuit.
 Et Isennaci quidem vt conuenirent, Elector
 Brandenburgicus Ioachimus Secundus effecit,
 qui sub initium mensis Iunij misso Legato
 Saxonem de periculo monuit, quod Germa-
 niæ videbatur à Turcis imminere; vnaque hor-
 tatus est, vt Protestantes de medijs cogita-
 rent, quibus ipsi cum Cæsare, Ferdinando
 Rege, cæterisque Catholicis Ordinibus ad-
 uersus communem Christiani nominis ho-
 stem coalescerent. Igitur, vt se pacis amantes
 ostenderent, per Saxonem & Landgrauium
 conuētus Isennacum indictus fuit; ad quem
 principes tamen ipsi non venerunt, sed per
 Legatos futuræ cuiusdam actionis fecerunt
 initium.

Cumque Cæsar, datis ex Hispania litteris, se
 se ostenderet à pacis consilijs non abhorrire,
 decretum fuit à Protestatibus, vt huius rei gra-
 tia sub initium anni sequentis 1539. Francofur-
 ti conuentus haberetur ad Mœnum. Vene-
 runt istuc ad duodecimum Februarij diem è
 Protestantibus Elector Saxo, Landgravius
 & alij: Cæsar etiam, & Ferdinandus Rex Le-
 gatos miserunt, qui de pace cum Protestan-
 tibus agerent: Elector Brádeburgicus, & Lu-
 douicus Palatinus inter vtrosque medijs, velut
 pacificatores intercessorum partes obiuerūt.

ANNO
 1538.

I.

Sleid. li. 12.
 Conuētus
 Protestan-
 tiū Brun-
 svi & Isen-
 naci.

Cam. p. 178

Causæ Cō-
 uentus.

Conuētus
 Francofur-
 tum indi-
 citur.

Ann. 1539.

De pace a-
 gunt.

ANNO
1538.
Melancht.
comes
Saxonis.

Durities
Luthera-
norum.

In ep. ad
Cam. p. 317.

Melancht.
ominatio-
nes.

Scriptum
iubetur
conficere
contra Cæ-
sarem.

Protestan-
tium potē-
tia auge-
tur.

Saxo Melanchthonem secum adduxit, alij alios ad Conuentum hunc; quanquam is non ad componendum religionis dissidium, sed ad pacem politicam inter Principes & Ordines constituendam indictus fuerat. Fecit autem durities & pertinacia Lutheranorum, vt in actione difficiles, & odiosæ contentiones inciderent. Certè Melanchthon ipse consilia Protestantium crudiora nonnunquam, vel vt ipse loquitur *Σωϊκότρεπα* fuisse fatetur in epistola, quam de hoc negotio scripsit ad amicum quendam ex intimis. Iam & positu syderum obseruato (vt erat curiosus in hoc genere) & conditione temporis, actionem hanc in turbas exituram ominabatur: Quanquam id aliundè paulo certius augurari potuit, cùm protestantes non ignoraret iam tum machinari bellum, de què rebus ad id necessarijs in ipso conuentu deliberasse. Quin & ipsi Melanchthoni mandatum fuit, vt collectis causæ præsidijs & rationibus, scriptum quoddam contexeret, quo, si arma caperent aduersus Cæsarem, id fuisse licitum, adeoque iure factum omnibus persuaderent.

Crescebat indies potentia Protestantium, & numerus fœderatorum augebatur, quibus anno superiore proximo, cùm Brunsvici de rebus cõmunibus deliberarent, & Daniæ Rex sese coniūxerat: Quod fœderis incrementum, & maiores animos protestantibus addidit, & in hoc conuentu fecit eos paulò ceruicosiores.

Igitur

Igitur turbulenta fuit actio, multisque difficultatibus impedita, Lutheranis æquissimas pacis conditiones repudiantibus. Protraxit eam quoque nonnihil inopinatus Landgravius morbus, ex quo tamen ille, licet difficilis esset & anceps, medicorum operâ paulatim est restitutus. Tandem Electoris Brandenburgici, & Palatini studio atque dexteritate factæ fuerunt induciæ ad menses quindecim, ut interea temporis instituto Theologorum utriusque partis colloquio, de sopiendis fidei cõtrouersijs ageretur. Melanchthon. 23. Maij Francofurto discedens, nõ multo post VVittenbergam reuersus est.

ANNO 1539. Landgravius in morbum incidit.

Induciæ fiunt. Sur. in com. pag. 333.

Sub finem huius conuentus ad 24. Aprilis Georgius Saxonix Dux rebus humanis exemptus fuit; Princeps zelo Catholicæ religionis, constantiâ, pietate in Deum, prudentia, rerum usu, cum summis istius ordinis heroibus comparandus: Cuius obitum per Misniam religionis mutatio confestim secuta est. Hæredes scripsit, condito testamento fratrem Henricum, eiusque filios Mauritium & Augustum; verum additâ conditione, ne fide maiorum abiectâ nouitiam religionem nouosque ritus inducerent. At Henricus, qui Lutheranismõ iam ante biennium nomen dederat, fratre mortuo ditionem eius omnem occupauit, nec quicquam prius habuit vel maiori curæ, quam ut statim euerteret ipso facto, quod in testamento Georgij de religione nouerat esse constitutum. Igitur

II. Georgius Saxonix Dux moritur. Cam. p. 124. Eius virtutes. Chytr. in Chron. Sax. pag. 444. Mutatur religio in Misnia cõtra testamentum Georgij. Henricus Lutheranismõ additus.

ANNO Lutherum, Ionam, Melanchthonem aliof-
1539. que Lipsiam euocauit, qui rem hanc pro vo-
 Melanch- to ipsius contra mentem testatoris exeque-
 thon Lipsiã rentur. Quod & factum est; Lutherus enim
 vocatur. & Ionas per ferias Pentecostes, habitis ad
 Visitatio concionibus telam mutandæ reli-
 cõstituitur. gionis exorsi sunt; quam deinde Visitato-
 res à Principe constituti Spalatinus, Ionas,

Modus Vi- & Ambsdorffius pertexuerunt. Hi verò
fitationis . per ditiones à Georgio relictas ad eum fe-
Chytr. in rre modum ordinarunt omnia, quem, anno
Chron. Sax. 1526. Melanchthonem Landgrauio præscri-
pag. 444. psisse iam ante diximus. Ritus veteres om-
 nes, inquit David Chytræus, vbi de hac Vi-
 sitatione loquitur, qui sine manifestâ impie-
 tate tolerari potuerunt, ac in his vsitatas Ec-
 clesie in Missâ cantiones, Introitus, Kyrie,
 Gloria in excelsis, Collectas, Lectiones Epi-
 stolarum & Euangeliorum, Symbolum,
 Præfationem, Sanctus (solo Canone exce-
 pto) Eleuationem etiam, & cereos, ac vesti-
 mentum sacerdotum retinuerunt.

Disputatio Cæterùm Lutherus & Melanchthon, cum
Lipsiensis VVittenbergam redirent, quosdam è suis Li-
Luthera- psie reliquerunt; Myconium imprimis &
norū cum Crucigerum; quibus acris fuit in eâ ciuitate
Catholicis concertatio cum Catholicis, viris doctis &
 religiosis; qui licet frustra niterentur, ob-
 ruti nimirum autoritate noui Principis &
 potentiâ, liberè se tamen magnoque cum fer-
 uore nouatoribus istis obiecerunt. Quin
 & Episcopus Misnensis Ioannes Maltitius,
 qui

qui anno superiore proximo ad Episcopatum ANNO
 promotus erat, & Iulius Pflugius Naumber- 1539.
 genſis Canonicus, oblato libello ſupplici ro- Catholi-
 garunt Principem, ne collegia contrà funda- corum in-
 torum mentem, ad hanc fidei rituumq; mu- ſtãtia apud
 tationem compelleret. Quibus de rebus Me- Principem
 lanchthon 26. Iunij ad Camerarium ſcribit Lutheranũ
 in hunc modum: Duplicat nobis labores *In epiſt. ad*
 ἡμισία, (Miſniam dicit ab Henrico nuper *Cam. p. 320*
 admodum occupatam) Cruciger eſt Lipſiã: “
 diſputat & concionatur. Ante triduum rixa “
 ti ſunt cum monachis Dominicaltris in pu- “
 blicã diſputatione horis continuis octo. Miſ- “
 nenſis Episcopus & Iulius exhibuerunt du- “
 ci Henrico ſcriptum de religione: petiue- “
 runt, ne in ipſorum Collegijs aliquam faciat “
 mutationem: Se ipſos correcturos eſſe vitia “
 ſuarum Eccleſiarum. Scriptum ad nos miſ- “
 ſum eſt; noſtris non ſatisfaciet, ἡ δὲ δοκῆ πο- “
 χρότερον. “

Sub hoc tempus Melanchthon litteras de- III.
 dit ad Senatum Venetum, occasione captatã Melanch-
 ex colloquio, quod anno superiore ſibi thon ſcri-
 cum Braccieto de ſtudijs bonarum ar- bit ad Ve-
 tium fuiſſe memorat. Accidiſſe ſibi per- netos.
 iucundum, ait, quod intellexerit, æquiora pri- Cauſa ſcri-
 grauiſſimorum virorum apud ipſoſeſſe iu- pt.
 dicia de mutatione rituum, quam non in-
 iuſtã cupiditate, vel ſtudio contendendi
 per ſuos inſtitutam aſſerit. Commendat
 verò Senatui cauſam Lutheranorum, ornatam
 inſigni verborum lenocinio- Senatium
 Venetum
 preſentat.
 Eoꝝ

ANNO
1539.

Locos com-
munes vè-
ditat.

Ab errori-
bus Serueti
dehorta-
tur.

Offert eis
disputatio-
nem.

Larvam Lu-
theranismo
obducit.

IV.

Eos, ait, quanquam abusus taxent & falsas opiniones, non discedere tamen à scriptis Apostolicis, nec à tribus symbolis, Apostolico, Niceno, atque Athanasiano; nec à veteris Ecclesiae Catholicae consensu. Emendatam per eos liturgiam, & morem Ecclesiae veteris restitutum. Nihil temerè mutatum esse, nihil sine consilio. Secutos eos non Apostolorum modo, sed & veteris, & purioris Ecclesiae scripta atque exempla. Extare scriptos à se Locos communes, quibus summa contineatur eorum, quae doceant. Hos testari, quod veterem Ecclesiae purioris consensum tueantur. Hortatur deinde, ut sibi caueant ab erroribus Serueti, cuius libellum quaedam istic circumferri dicit haeresin Samosateni reuocantem, quam Ecclesia pridem damnarit. Aequum esse, ut pii viri primum considerent, quid indubitato senserit Ecclesia primitiua; cuius aliam, quam Serueti vel Samosateni de Christo sententiam fuisse demonstrat. Concludit tandem, voluisse se Venetis significare iudicij sui testimonium; nec grauatim, si quis petat, de tota cōtrouersia copiosius disputaturum. Scripsit hæc Melanchthon, cum Lipsiae moraretur, Lutheranae causae plausibilem veteris Ecclesiae larvam obducens, ut fraudem faceret. Quanquam frustra Venetorum animos pertentaui hac strophâ; nec quisquam ab eo disputationem vberiore de rebus fidei petijt.

Edidit hoc eodem anno libellum de Ecclesiae

clesie autoritate, deque synodis & scriptis ANNO
 veterum; quibus de rebus ita disputat, vt & 1539.
 mendacia in Catholicos, in Ecclesiam vete- Eius liber
 rem, & contumelias in sanctos Patres infar- contume-
 ciat. Sanè quidem Catholicos huius tempo- liosus de
 ris adeò sycophanticè passim & procaciter autoritate
 infectatur, vt dubium non sit, quin Lutherus Ecclesie.
 ipse, conuitiator omnium, quos sol vidit, im- Eius in
 potentissimus, inhalarit illi spiritum suum, scribendo
 & calamo scribentis amarulentie venenum petulantia.
 infuderit. Et quoniam ab annis aliquot con-
 tinenter per æmulos exagitatus fuerat, quod
 lenior esset & minus acerbus in Papistas; imò
 quod transfugium meditaretur, hac petu-
 lantiâ suspicionem istam à se remouere vo-
 luit, & quod in hoc genere probri loco fuit
 obiectum, semel & simul diluere. Quis enim F. 4. b.
 Melanchthonem ad eos inclinare crederet,
 quos Origenis, Hieronymi, Chrysostomi, &
 nescio quorum (sic loquitur) autoritatem ci-
 tare dicit, non quod illos verè, & ex animo
 probent, sed tanùm, vt futum faciant impe-
 ritis, ne videantur victi? Quid populus de
 Christo sentiat, inquit, quomodo erudian-
 tur Ecclesie, nihil ad se pertinere iudicant:
 ac partim apertè exercent sycophanticam,
 vt Cochlæus, V Vicelius, & similes; partim
 sunt tyranni, & tyrannorum satellites, qui
 propter sapietie aut virtutis opinionem gu-
 bernant Pontificum, Regum & Principum
 consilia, cum sint homines à se, qui in vni-
 uersum arbitrantur religiones commentitias
 esse,

ANNO 1539. esse, ac sibiipsis mirum in modum hoc nomine placent, quod audent *ἀντιπέρδειν πρὸς τὰς βροντὰς*, vt ille apud Comicum inquit. *G.7.b.* Post vbi de Purgatorio disseruit: sed quid
 „disputo: Orta est mentio purgatorij à spe-
 „ctris; deinde confirmata propter quæstum;
 „& nunc defenditur à Pontificibus, Cardina-
 „libus, Episcopis, Canonicis, qui palam sunt
 „Epicuræi, ac securissimè contemnunt iudi-
 „cium Dei: Et quæ de pœnis post mortem le-
 „gunt, sic accipiunt, vt fabulas poetarum de
 „Ixione, Sisypho, Tantalò, aut similes; ac ri-
 „dent stultitiam illorum, qui affirmant, Deū
 „proposuisse æternas pœnas impijs.

Mentitur plurima de idololatria Catholicorum.

Hæc Melanchthon petulanter nõ minus quam improbè in Catholicos. De Ecclesiâ confusè disputat & variè, nunc de electis tantum, nunc de particularibus Ecclesijs, nunc de vniuersali verba faciens, scilicet vt Lectori glaucomam obijciat. Christum, ait, prædixisse Matth. 14. oriturâ Idololatriâ in Ecclesiâ, futurâque Ecclesiæ vastitatem, solitudinem, vel extinctionem. Citat quædam scripturæ dicta 2. Thess. 2. Veniet defectio, &c. Luc. 18. Putas, quod veniens filius hominis inueniet fidem? Psalm. 88. Nunquid vanè constituisti omnes filios hominum? &c.

B. I. A.

In Ecclesiæ autoritate tria spectanda.

„Quibus contineri querelam, ait, de venturâ
 „Ecclesiæ ruinâ. Retinere quidem articulos
 „fidei veram Ecclesiam: At habere eâ interim
 „errata sua eosdem articulos obscurantia. Ita-
 „que cum Ecclesiæ autoritas allegatur, tria
 „quæ-

quædam obseruanda monet : primum, An ANNO
quod docetur, sit Ecclesiæ consensus con- 1539.

gruens cum verbo Dei : secundum : Patres,
quorum extant scripta, sæpè lapsos, & quos-
dam fortè ne quidem Ecclesiæ membra fu-
isse : tertium ingentem impiorum multitu-
dinem in Ecclesiâ nonnunquam præualere;
quæ cum dominatur, multa constituat impia
dogmata: quomodo Sâctorum inuocatione,
& orationem pro defunctis inualuisse dicit.

B. 7. b. 8. a.

Verùm obijcit ipse sibi : si repudietur Ec-
clesiæ autoritas, cõcedi nimis magnâ licentiâ
petulãtibus ingenijs excogitãdi nouas & im-
pias interpretationes Scripturæ. Respondet,
Id periculum non contemnendum, & pro-
desse, vt hæc licentia coerceatur. Itaque vi-
dendum, quatenus autoritas Ecclesiæ sit re-
quirenda. Hic respondeo, inquit : Sicut Eu-
angelium præcipit audiri Ecclesiam, ita sem-
per dico eum cõetum, penes quem fuit verbũ
Dei, & qui dicitur Ecclesia, audiendum esse;
sicut iubemus quoque audiri nostros pasto-
res. Audiamus ergo docentem & admonentẽ
Ecclesiam; sed non propter Ecclesiæ autori-
tatem credendũ est: Nam Ecclesia non con-
dit articulos fidei; tantum docet & admo-
net; Verùm propter verbum Dei credendum
est, cum videlicet admoniti ab Ecclesiâ in-
telligimus hanc sententiam verè & sine so-
phisticã in verbo Dei traditam esse. Hacte-
nus Melanchthon; reipsã non Ecclesiam, sed
Dei verbum audiendum asserens.

Occurrit
obiectioni.

De

ANNO

1539.

Melanch-
thonis sen-
tentia de
decretis
Concilio-
rum.

De Conciliorum decretis eodem modo loquitur, quibus auctoritatem decernendi non tribuit, nisi pronunciet ex scripturis. Idem, inquit, de synodis dico: Audiendas esse Ecclesiae synodos, quae cum de verbo Dei disputant, docent & monent nos: Sed iudicium accedat, & cum vera tradunt, credamus propter verbum Dei. Ut Nicæna Synodus piè & utiliter docuit, & admonuit omnè posteritatem de filio Dei: Sed articulum credimus non propter synodum, sed quia videmus, sic traditum esse in verbo Dei. Cætera, quæ sunt extra scripturas, non sic amplectenda sunt: Ut Synodus Nicæna condidit Canones pœnitentiæ, qui sunt traditiones humanæ extra scripturam; & fuerunt semina multarum superstitiosarum opinionum. Decurrit deinde per synodos aliquot, quæ primis Ecclesiae temporibus habitæ sunt, Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam, Chalcedonensem, aliasque nonnullas particulares; in quibus, quid rectè decretum sit, quid perperam, auctoritate prætoriâ velut ex tripode pronunciat.

C. 1. b.

Eius cal-
lumnia in
SS. Patres.

D. 2. a. b.

Ad Patres verò quod attinet, quorū nunc extant monumenta, eos frequenter lapsos asserit; Ideoque audiendos, sicut nunc dicimus audiendos esse Concionatores: sed addendum, ut auditi iudicentur ex verbo Dei. Scriptores, inquit, alij in alijs materijs fuerunt diligentiores, & ut est humanum, sæpè inconsideratè effundunt absurdas & falsas senten-

sententias, quas admoniti haud dubie fuerant correcturi. Sæpè, cum non malè sentirent, tamen non satis perspicuè dicere potuerunt, quod volebant. Sæpè propter temporum consuetudinem præsentis traditiones durius defenderunt. Aliquas etiam falsas opiniones interdum habuerunt. Quare non sunt sine delectu omnia Patrum scripta probanda: Et sæpè ipsi inter sese pugnant; nec rarum est, dissentire aliquem à seipso. Posthæc exorsus ab Origine plerosque recenset græcos, latinisque Patres ad Gregorium vsque, nec quenquam nisi sugillatum transmittit. Originem, ait, multas falsas & absurdas sententias miscuisse, quarum aliquas etiam ipsius ætas improbarit. Dionysij libellum vnum probat de hierarchiâ Ecclesiasticâ: cæteros, ait, otiosas continere speculationes. Graui reprehensione dignum, quod non discernat inter Sacramenta diuinitus instituta, & humanas traditiones. De Cypriano, Effundit inter declamandum, inquit, interdum absurdas sententias, cum exaggerat immeritis hyperbolis causam, quam instituit. Basilium reprehendit, quod instituit cætus monachorum. Noxium hoc, ait, fuisse exemplum & vitiosum. Libros ipsius regulas monachorum continentes ex parte supposititios esse, vtpotè plenos falsarum opinionum de cœlibatu, & alijs cultibus excogitatis sine mandato Dei. Chryso-

ANNO

1539.

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

ANNO 1559. **stomum** reprehendit multis nominibus: Quod laudet eos, qui Sanctorum monu-

In Chryso-
stomum.
E. 5. a.

menta visitant; quod pro defunctis oran-
dum doceat; quod monasticen immo-
dicis & falsis laudibus ornet, vt loqui-
tur; quod eleemosynas, lacrymas, &
alia pietatis opera commendet, vbi de re-
missione peccatorum agit. Ipsius tempo-
ribus in Ecclesiâ caliginem fuisse di-
cit. Ambrosium idem de iustificatione

In Ambro-
sium.
E. 6. b.

docuisse asserit cum Lutheranis: Præpa-
rationes eius ad Missam, & alia quædam
inania, vt loquitur, supposititia vide-
ri. Hieronymum verò cum primis con-
tumeliosè tractat, inspersis etiam menda-
cijs; cuius generis quædam excerpo: E-

In Hiero-
nimum.
E. 7. b.

„narrationes eius in prophetas, inquit,
„sunt tenues: tamen historiarum explica-
„tio sumpta à veteribus est utilis. De do-
„gmatibus pauca scripsit: Aduersus Ioui-
„nianum valdè confirmat falsas & supersti-
„tiosas opiniones de traditionibus huma-
„nis. Vituperat coniugium, & contume-
„liosâ oratione insectatur, quæ nequaquam
„digna est Christiano. Et paulò intrâ: Po-
„stremò ethnico more colligit vulgaria con-
„uitia sexus muliebris & coniugij, de qui-
„bus Christianus longè aliter sentire debet.
„Docet porrò, quâ ratione viro sancto de
„fœminis loquendum fuerit: Deinde sub-
„iungit: Hæc atque alia in hanc sententiam
„in Christianâ disputatione potius dicen-
da

da erant, quam illa scurrilia conuitia sexus ANNO
& diuinæ ordinationis. De discrimine ci- 1539.
borum laudat (Hieronymus) ritus sine ver- “
bo Dei institutos tanquam cultus Dei, imò “
tanquam perfectionem. Ridicula vox est, “
quam ponit: Si vis perfectus esse, bonum “
est vinum non bibere, & carnem non man- “
ducare. Concludit tandem: Constat igitur, “
multos esse in scriptis Hieronymi non exi- “
guos lapsus. “

Porrò S. Augustinum ætate suâ doctri- E. 1. b.
nam Euangelij de gratiâ & fide in Christum In S. Augu-
penè extinctam restituisse, & rursus accédif- stinū eius
se dicit, eumque de iustificatione, de gra- censura
tiâ & fide idem sentire cum Lutheranis as- Thraloni-
serit. Quod verò locutiones quædam in scri- ca.
ptis ipsius occurrant de meritis bonorum F. 7. a.
operum, alijsque de rebus, has condonandas
ait temporibus. Vulgi consuetudinem huius-
modi figuras recepisse, quas docti non po-
tuerint explodere. Deinde nec Patres ipsos
fatis assuefactos fuisse ad accuratas disputa-
tiones: Et fuisse iam tum magnam in Eccle- F. 8. a. b.
siâ caliginem. De ceremonijs & ritibus ex-
ternis; de purgatorio, de oratione pro defun-
ctis, de votis, victum fuisse sanctum Patrem
opinionibus sui seculi; quo iam multos, ait,
abusus in Ecclesia hæsisse: Quorum etsi non- G. 1. a.
nullis aduersatus sit Augustinus, tamen ali-
quos eum boni consuluisse.

Gregorium verò, quem in Catalo- G. 2. a. b.
go Patrum ponit vltimo loco, nec infrà In S. Gre-
hunc gorium.

ANNO
1539.

Eum facit
autorem
abusuum.

Impietatis
accusat.

H. 3. a. b.

G. 4. b.

hunc descendit, durius flagellat. Huius tempore, cum barbaræ gentes iam antè in Italiam influxissent, in admiratione fuisse monachos, eorumque cœtus creuisse, & opiniones de illo vitæ genere barbaris plausibiles latius vagatas: Ita lucem Euangelij de vera fide, verisque cultibus extinctam. Gratam quoque Barbaris fuisse venerationem Sanctorum: quos ubi semel consuetudine receptum fuerit ornare statuis & templis peculiaribus, creuisse deinde morem imitatione potentum. Paulatim verò tantum accessisse impietatis, ut nihil differret Veneratio Sanctorum, his posterioribus seculis à manifestâ ethnicorum idololatriâ. Annam, Georgium non aliter inuocari consueuisse, quam Iunonem, Martem, aut Herculem. Cur sitatum ad statuas: Eam *εἰδωλομανία* ab Episcopis magnâ autoritate confirmatam, & à Doctõribus laudatam. In talibus cultibus summam religionis positam fuisse. Interim de Christi inuocatione, de fide, ingens fuisse silentium. Huius impietatis principia Gregorium valdè confirmasse, ut qui publicum ritum inuocationis Sanctorum instituerit, qui ossibus & pulueribus eorũ iusserit templa dedicari.

Concludit hanc de Patribus dissertationem in hunc modum: Etsi moneant interdum aliquid eruditiores Patres, tamen de ijs iudicandum esse ex verbo Dei. Præcipuos, Ambrosium, Augustinum, & pau-

cos

cos alios idem sentire cum Lutheranis, si ANNO
 commodè intelligantur, & quædam il- 1539.
 lis condonentur, quæ tunc non venerint in Plerosque
 controuersiam. Interim Lutheranos de pœ SS. Patrum
 nitentiâ, de remissione peccatorum, de iu- in suâ tra-
 stificatione, de satisfactionibus, de Clau- hit senten-
 bus, de traditionibus humanis, de rebus po- tiam.
 liticis, pleraque disputasse planius, quam
 veteres Patres: Quos, ait, hanc explicatio-
 nem & methodum (locos communes Me-
 lanchthonis, & commentaria in scriptu-
 ras) si legissent, pro suâ pietate candidè pro-
 baturus fuisse. Non ignorare se tamen, ait,
 ex veteribus excerpti multa posse, quæ Lu-
 theranorum dogmatibus aduersentur. Nec Ad quosnâ
 ad omnes se, sed ad meliores prouocare, Melanch-
 Ambrosium, Augustinum, & quatenus alij thon pro-
 cum his consentiant: qui cum ipsi nonnun- uocet.
 quam pugnantia dixerint, veniam sibi dan-
 dam ait, si quædam reprehendant; mo-
 do teneant, quod ipsi spectarint & volue-
 rint, interdum autem non potuerint expli-
 care.

Hæc ferè summa est eorum, quæ in hoc
 libello Melanchthon de Ecclesiâ, deq; Cõn- Summaria
 cilijs & Patribus prolixè disputat. Omnia totius li-
 nimirum in hoc cardine vertuntur: Eccle- belli Me-
 siam, Concilia, Patres monere atque docere lanchtho-
 posse; At non credendum, nisi ex Scripturis nici.
 loquantur: Quod cum faciunt, non creden-
 dum tamen propter Ecclesiam, Concilia,
 Patres, sed propter verbum Dei: Extra quod

ANNO
1539.

*Cam in vi-
ta Mel. pag.*

247.

Duplicet li-
ber Luthe-
ranismis
eiusque
censura.

Ab ijs re-
prehēditur

V.
*Chytr. in
Sax p. 444.*
Brandebur-
gicus mu-
tat religio-
nem.

Causa mu-
tationis.

si loquantur, neminem, ut eam vocem au-
diat, obligari; cum Ecclesia, Concilia, Pa-
tres, errare possint. Displicuit verò libel-
lus iste non Catholicis modò, sed & Luthe-
ranis prudentioribus, quorum benignus ta-
men erat in Melanchthonem affectus. His
indignum videbatur, quod audacius & ni-
mis fidenter pronunciaret ijs de rebus, qua-
rum cognitio non priuatim ad vnum homi-
nem, quantumuis doctum atque pruden-
tem, sed ad Ecclesiam pertineret: quod in-
solenter ad censuram reuocaret scripta ve-
terum, Ecclesiae totius & orbis Christiani iu-
dicio pridem approbata: quod nonnullos è
sanctis Patribus traduceret velut infantes,
indoctosque, qui mentem suam de dogma-
tibus fidei non disertè satis & commodè po-
tuerint explicare. Hanc temeritatem & su-
perbiam in Melanchthone palam repre-
hendebant isti; nec iniuria sane: Qua de re
dubitare nemo potest, nisi vel in sanctos Ec-
clesiae Doctores odio, vel affectu sit in Me-
lanchthonem excæcatus.

Per hos dies Ioachimus Elector Brande-
burgicus, qui Ioachimo patri vita functo an-
no 1535. successerat, continuis subditorum
interpellationibus superatus, quandam in-
stituit religionis mutationem, qua dissimu-
lanter Lutheranismus inducebatur, exter-
na Catholicorum rituum larua velatus: Que
res ad hunc modum gesta est. Erant Ele-
ctoris ditiones ingenti pondere grauatae

aris

æris alieni, quo subditi promittebant se le-
 uaturos Principem, si nouitiæ religionis ex-
 ercitiū concederetur. Peruaferat Luthe-
 rana contagio superioribus annis vniuer-
 sam penè Marchiam, è vicina VVittenber-
 ga proserpens, erantque pridem per concio-
 natores occupati subditorum animi, nec
 aliud, quam mutatio publica desideraba-
 tur. Elector verò, licet & ipse satis ad Lu-
 theranismum propenderet; tamen quia no-
 uerat offensum iri Poloniæ Regem Sigis-
 mundum, cuius filiam zelo Catholicæ reli-
 gionis flagrantem habebat in matrimonio,
 cunctanter agebat. Tandem expugnatus
 importunis subditorum precibus, & quam
 offerebant ad soluendum debitum in-
 genti pecuniæ summa, Visitationem de-
 creuit; eaque de re socerum Poloniæ Re-
 gem per litteras admonuit, additis consilij
 sui rationibus, enixè rogans, vt probaret hoc
 institutum; Non se discessurum à fide Ca-
 tholica, sed abusus tantum quosdam emen-
 daturum.

Rex, datis vicissim litteris, missoque
 Legato, visitationem dissuadet prorsus,
 hortaturque generum, vt Catholico-
 rum quorundam Principum exemplo con-
 stantiam præstet in retinenda maiorum
 fide, nec ante legitimam Concilij defini-
 tionem quicquam innouet. Elector, cum
 Regem offensum intelligeret, Melanch-
 thonem VVittenberga Berlinum euocauit,

ANNO
1539.

Brandebur-
gicus ge-
ner Regis
Poloniæ,

Ad generū
de sua sen-
tentia scri-
bit.

A Rege ad
sanam mē-
tem indu-
citur.



ANNO
1539.

*In ep. Sel.
fol. 497. a.
Eius sub-
dolæ litte-
ræ.*

Stropha
Brandeburgici.

vt eius operâ consilioque ad placandum Regis animum vteretur. Placuit, vt denuò focerum Princeps adiret per litteras, quibus hoc persuaderet imprimis, nullam se prorsus moliri vel mutationem dogmatum, vel ab Ecclesiâ discessionem, sed hoc agere tantum, vt tollantur abusus quidam, qui non possint saluâ pietate tolerari. Scripsit hanc epistolam Latinè Melancthon Octobri mense, quam Princeps misit ad Regem in Poloniam; Habere se constitutum, ait, pio consilio manifesta vitia quædam in Ecclesijs suæ ditionis corrigere: quæ rem ad officium Principis pertinere iudicet. Ea verò moderatione vsurum in hoc negotio, vt non modo nihili recepturus sit contra Catholicam Ecclesiæ Christi sententiâ, à quâ nullâ vi se dicit vnquam auellendum; sed etiam, ne quid Episcoporum auctoritati detrahat. Eâ de re nuper admonuisse Regem litteris germanicè scriptis, quas nonnulli fortè durius sint interpretati, nec consilij suscepti rationes satis explicarint. Itaque, cum actiones suas in Republicâ, Regi velut patri suo probare cupiat, hoc altero scripto fusius declarandam fuisse mentem suam, & suspicionem inconstantix, vel iudicij mutati purgandam. Eam se hæcenus præstitisse grauitatem; vt nec abusus probarit in Ecclesiâ, nec fanaticis opinionibus in ditione suâ præbuerit locû; Ita verò moderari quædam in vtraque parte, vt nec à Catholicâ Christi

Christi Ecclesia discedat, nec quicquam de-
 roget Episcoporum auctoritati. Amplecti se
 verum Ecclesiæ Catholicæ consensum, qui
 extet in scripturis Apostolicis, in veteribus
 canonibus, & probatę fidei scriptoribus: pol-
 licitum quoque se synodo, si quando ritę cõ-
 ueniret, nõ defuturum. Eã igitur mente cum
 sit, sperare se Regem Consilium hoc de mo-
 derandis quibusdam abusibus non improba-
 turum. Quod si coniux charissima, cùm qua
 coniunctissimè semper vixerit, veteres quos-
 dam ritus amet, non se repugnare, quin ijs
 arbitrio suo vtatur. Hęc Elector Brande-
 burgicus ad Regem, Melanchthonis ductum
 secutus, qui litteras eã verborum adhibita
 temperie, de industria cõcinnauit, vt de mu-
 tanda religione nullum subesse periculum
 videretur. Interim quod de Visitatione de-
 cretum erat, instigantibus perpetuò Luthe-
 ranis princeps executus est. Eam verò Visi-
 tationem Matthias Iagius Episcopus Bran-
 deburgensis, & Iacobus quidam Strednerus,
 à Georgio Marchione Ansbachico missus
 principis nomine peregerunt. Cæterum ad
 eam formam reuocarunt omnia, quam pridē
 à Melanchthone diximus in hoc genere præ-
 scriptam: nisi quod Elector in rebus exter-
 nis quam fieri posset minimũ immutari vo-
 luit, ne socerum Polonię Regem grauius of-
 fenderet. Quanquam verò Melanchthon
 Visitationi non interfuit, omnia tamen ex
 ipsius consilio nutuq; peracta fuerunt & cõ-
 stitu-

ANNO

1539.

Nota Le-
 ctor com-
 mune hæ-
 reticorum
 præsidium.

Visitationē
 in suo prin-
 cipatu de-
 cernit.

Chytr. in
Sax. p. 444.

Eius prima-
 rii duces.

Ad præscri-
 ptum Me-
 lanchtho-
 nis agunt,

ANNO
1539.
Ordinatio
à Principe
publica-
tur.

Capita Or-
dinationis.

stituta. Edita deinde fuit nomine principis ordinatio quædam, mandatumque ut ad illius normam omnia per ditiones Electori subditas in ecclesijs agerentur. Huius anterior pars dogmatum explicationem continebat, & conciunculas quasdam catecheticas: posterior verò ceremonias & ritus Catholicos propemodum omnes; ut si species externarum tantum, non habita ratione dogmatum, ferè nihil immutatum iudices.

CAPUT XIV.

- I. *Regis Angl. cum Protest. actio de fœdere, cum colloqu. & censura Melanchthonis in decretum Regis de relig. & apologia pro coniugio sacerdotum.*
- II. *Melanchthonis miseria, morbus & profectio ad Comitiam, cum aliquot cõuentuum Protest. enumeratione.*
- III. *Acta Melanchth. VVormatiæ cum Bucero, Nausea, &c.*
- IV. *Melanchthon Caluini accessu, & familiaritate corruptus, & asperior factus.*

I.
Rex Angliæ
ambit Pro-
testantium
societate.

HENRICVS VIII. Angliæ Rex licet ab Ecclesia Romana defecerat, & infestè oderat Pontificem, religionem tamen à maioribus per manus traditam non prorsus abiicit. Ambiebat quidem amicitiam & societatem Protestantium; sed ad professionem adduci nõ potuit eorum dogmatum, in quibus Lutherani ab Ecclesiâ vetere dissidebāt.

Labo-

Laboratum est de concordia magno sanè Protestantium studio , qui tam potentem Regem fœderi suo adiunctum cupiebant: At frustra fuit conatus iste , quemadmodum supra diximus.

Designati fuerunt an. 1536. Melanchthon alijque nonnulli , qui nomine Protestantium in Angliam profecti, cum Episcopis de dogmatibus conferrent : Verùm illa profectio Reginae Boleniæ supplicio tum quidem fuit impedita. Elector igitur Saxoniae Ioannes Fridericus biennio post an. 1538. Legatum misit in Angliam Franciscum Burcardum Procancellarium , cui Fridericum Myconium adiunxit concionatorem Lutheranum, vt de sopiando, quod de dogmatibus erat, dissidio cum Anglis deliberarent. His primo congressu Rex discordiam obiecit, quam audierat pridem à fide dignis de religionis capitibus inter Lutheranos exortam. Negavit Burcardus protestantes inter se dissidere; idq; constanter admodum , perpetuis seipsum cum Myconio carceribus deuouēs, si res secus haberet, quam ipse dixerat. Erat interim verissimum , quod de dissidijs eorum Rex inaudierat, qui se communi nomine Euangelicos appellabant. Dissidebant enim à Sacramentarijs Lutherani, & ab his vtrisque Anabaptistæ: Quin & ipsi Lutherani iam erant inter se diuisi , Melanchthone cum suis à rigidioribus Lutheri discipulis in diuersum abeunte: Quos vtrosque rursus

Anti-

ANNO
1539.

De concordia religionis frustra inter eos actum.

Delecti Protestantium in Angliam.

Eis Rex discordiam obiecit.

In Colloq. lat. Tom. I. pag. 171.

Falso se purgant.

Diuisio sectæ Lutheranae.

ANNO Antinomi circa tempus hoc oppugnabant.
1539. Hanc turpitudinem Legatus Saxonis, cum
Mendacio alia ratione tegere non posset, mendacio ve-
velatur. lauit; impudenter negans, quod verum esse
Inuictam Myconius non ignorabat. Deinde Regis a-
confessio- nimum odio Pontificis sponte sua flagran-
nis fortitu- tem, velut ad motis facibus grauius accende-
dinem præ- runt, de confessionis Augustanæ soliditate
tendunt. & inuicta firmitudine multa locuti.

Colloquiū Ventum est ad Collationem cum Episco-
inter viros pis, inter quos erant nonnulli Lutherano
que. vel Sacramentario potius fermento pridem
 infecti: Quo factum est, vt actionis princi-
 pia satis auspicata viderentur; quemadmo-
 dum Burcardus & Myconius, datis ad suos

In ep. ad litteris ex Anglia scripserunt. At res non eos
Cam. p. 306 habuit successus, quos Melanchthon alijque
 sibi pollicebantur. Rex enim post diuturnā
 collationem, cum suos in factiones distrahi

Parlamen- videret, nouis opinionibus, Conuentu om-
tum Rex nium Ordinum indicto (parlamentum ipsi
conuocat. vocant) inter cætera de religione sanciuit ca-
 pita quædam, quibus promulgatis Lutherani,
 qui Regnum animo iam penè deuorarat,
 spe sua deiecti, Regem ab Euangelio rursus
 defecisse clamitarunt.

Sleid. li. 12.
Colloq. mēf.
lat. Tom. 1.
p. 174. b.

I. Summa verò eorum, quæ de religione de-
 creta sunt, hæc ferè fuit. In Eucharistiæ Sa-
 cramento panis & vini substantiam, vi con-
 secrationis in verum Christi Corpus & san-
 guinem conuerti: Communionem sub vtra-
 que specie non esse iure diuino necessariā ad
 salu-

2. Summa
 decreti de
 religione à
 Rege lati.

2.

salutem omnibus hominibus ; & Christum integrum sub vtrauis specie contineri: Sacerdotibus, postquam consecrati sunt, non permittendum, vt matrimonium contrahât, vel ducant vxores: Qui vota castitatis emiserint fideles vtriusque sexus, ad ea præstanda vel seruanda obligari iure diuino: Missam, quæ sacrificium est, omnino retinendam; idque iure diuino, cum per eam diuina solatia & beneficia recipiantur: Expedire, adeoque necessarium esse, vt priuata confessio peccatorum in Ecclesia retineatur. His additum decretum in hanc sententiam: Si quis in Regno Anglicano, vel alio quouis dominio, quod Regi subiectum sit, post 12. Iunij diem viua voce, scripto, prælo, fictitijs characteribus, vel quouis alio modo secus doceat, aut credere se profiteatur, eum velut hæreticum puniendum.

Hoc decretum, cum in publicum prodijisset, Protestantes imprimis grauiter offendit, qui spem de Rege conceperant ad confessionem Augustanam & fœdus Smalcaldicum adiungendo. Et Melanchthon quidem articulos supra memoratos ad censuram continuo reuocauit, deditque litteras ad Regem ipsum Calend. Nou. in quibus de iisdem articulis fusè disputat, hortaturque Regem propositis Darij, Atheniensium, Aflucri, Adriani, Anthonini exemplis, qui decreta publica per errorem edita correxerunt, vt Edictum Anglicanum aboleat. Id asserit esse cōfectum ab

Episco-

ANNO

1539.

3.

4.

5.

6.

Eius minæ & seueritas in contra sentientes.

Protestantes à societate Regis deterrètur.

In ep. sel.

pag. 75.

Melanchthonis censura in Decretum Regis de religione.

ANNO
1539.

Eius Apo-
logia pro
coniugio
sacerdotū.

Typis mā-
datur.

II.
Melancht.
ærumnæ
animique
dolores.

In epist. ad
Cam. p. 325.
326.

Causæ do-
loris.

Episcopis, quos eam ob causam petulanter & mordaciter infectatur. Confecit verò mandatu principum anno sequente proximo & aliud quoddam scriptum, cui titulum indidit: Defensio coniugij sacerdotum, in quo non tantum de sacerdotum cōiugio, sed & de communione vtriusque vel alterius speciei, de sacrificio, de Missâ priuatâ, vt appellant isti, contra decretum Anglicanum prolixè disputat: Quod scriptum ad Angliæ Regem missum fuit, & typis continuò diulgatum.

Hoc tempore Melanchthon tristitia, doloribus animi continuis, ærumnisque propter statum rerum publicum, & domesticorum inuidiam pene confectus fuit, vt viribus exhaustis de vita diutius producenda ipse desperaret; Imprimis quia V Vittenbergæ commorandum erat inter eos, qui malignis oculis actiones ipsius omnes obseruabant: Qua de re 27. Nouemb. ad Camerarium quiritatur: Me, inquit, dolores animi, quos tuli toto triennio acerbissimos & continuos, & cæteræ quotidianæ ærumnæ ita consumpserunt, vt verear, me diu viuere non posse, causam *ἐπιθυμιῶν* nuper casu disputavi, eaque res mihi nouum certamen parit; de quo alias. Si essem alibi, melius sperarem de mea vita: Sed hæreo, vt vides ad Caucasum alligatus. Duplex igitur Melanchthonis cruciatus fuit; tum quod inter eos viuendum erat, quorum amarulentiam toties experiebat;

tur;

tur; tum verò, quod de causis afflictionum & ANNO
intimæ pressuræ sermonem habere non li- 1539.
cuit, nisi nouam offensionem concitaret, suis-
que ærumnis adijceret onus.

Quo tempore Melanchthon ista scripsit,
menie Nouembri scilicet, Protestantes con-
uentum habuerunt Arnsteti in Thuringia,
in quo deliberatum fuit de augendo firman-
doque fœdere, de rebus ad defensionem ne-
cessarijs, de dispensandis, quæ inuaserant bo-
nis ecclesiasticis, de causa Mindensium, in
quos proscriptionis erat lata sententia, de le-
gatione in Angliam ad Regem mittenda, &
in Belgium ad Cæsarem, quem rumor erat
ex Hispania breui adfuturum. Atque hic
conuentus, quia fœderati non omnes ade-
rant, nouum quendam alium peperit, qui
Smalcaldiam indictus fuit ad Calend. Mar-
tias anni sequentis 1540. ad quem & con-
cionatores venerunt iussu principum satis
frequentes, Ionas, Pomeranus, Cruciger, Bu-
cerus, alijque, & cum ijs Melanchthon; qui
tamen concionator non erat, sed artium &
Græcæ linguæ professor, concionatoribus
tamen adiunctus est, cùm de religione susci-
pienda fuit deliberatio. His mandatum, vt
formam conciperent actionis de concilian-
dis dogmatibus cum aduersarijs instituende:
tum, vt scripto quodam confutarent articu-
los Anglicani decreti de religione promul-
gati nuper admodum autoritate Regis,
quem Protestantes non censuerunt ad fœdus

Conuētus
Protestan-
tium Arn-
steti in
Thurin-
gia.

Causæ cō-
uentus.

Ann. 1540.
Conuētus
Protestan-
tiū Smal-
caldiæ.

Causæ cō-
uentus.

In epist. ad
Cam. p. 330
Sleid. li. 13.

reci-

ANNO
1540.
Qua Con-
ditioe Rex
Angliae fe-
deri adiu-
gendus.
Cam. p. 185.

recipiendum, nisi ad Augustanam se Confessionem adiungeret. Scriptum hoc Melancthon postea confecit, uti iam antè diximus. Disputatum deinde fuit iussu principum, de politica vel iurisdictione Ecclesiastica, quam Episcopis plerique restituendam censuerunt, si recipiant piam doctrinam, ut loquuntur isti, & manifesta vitia corrigant.

Conuētus
Ordinum
Spiram in
ductus.

Fuit deinde Conuentus Ordinum indictus Spiram, in quo de conciliandis dogmatibus inter vtriusque partis Theologos potissimum ageretur; quod Cæsar moderatis Doctorum consilijs potius, quam armis dirimi controuersias optaret. Cùm verò Spiræ

Trásfertur
Hagano-
am.

scintillaret id temporis pestilentia lues, Haganoam Conuentus iste translatus fuit; quo Lutherani magno numero conuenerunt; Quanquam de cõciliatione nihil agi potuit, quod Lutherani ab articulis ante decennium Augustæ conciliatis turpiter resilirent; tum quod Protestantium capita, Saxo Elector & Landgravius abessent. Itaque negotium nunc quidem suspensum est, & ad vigesimum octauum Octobris VVormatiæ dictus dies, ad Colloquium hoc persequendum.

Alius Con-
uentus
Worma-
tia.
Melanct.
Comes de-
signatus.
In ep. ad
Cam. p. 333.
Substitit
Vinariæ
morbo op-
pressus.

Cæterùm Elector Saxo Melancthonem quoque designauerat, ut cum reliquis Haganoensi Colloquio interellet. Is verò cum Vinariam in itinere venisset, quæ Thuringiæ ciuitas est, substitit, oppressus lethali morbo; de quo se per somnium admonitum fuisse scribit antequam iter ingrederetur.

Tameris

Tametsi iam pridem non corpore tantum, ANNO
 sed & animo miserandum in modum erat 1540.

affecto, quemadmodum paulò supra diximus. Et quidem ad corporis infirmitatem quod attinet, Georgius Sturciades medicus celeberrimus, Erphordia vocatus curam æ-

A medico curatur.

grotantis suscepit, nec quicquam reliqui fecit ad summam diligentiam, ut restitueretur; quod superatis morbi difficultatibus paulatim factum est. Verum ille cum alio

Cam. in vit. Mel. p. 186.

quoque morbo conflictabatur, gravissimis animi perturbationibus, & conscientie summis angoribus ad eum modum oppressus, ut animum despondere prorsus, & deficere videretur. Quod cum Lutherus intelligeret, adolavit continuo, & quibus potuit rationibus Melanchthonem prostratum erexit.

Morbo conscientie laborat.

A Luthero erigitur.

Quam ob causam verò graves istos conscientie morsus sustinuerit, & acerbos cruciatus, id consultò dissimulant, qui faciunt huius luctus mentionem. At mirum non est huiusmodi terroribus agitari istos, cum distractionem fidelium bella, seditiones, infinitas calamitates intuentur, & variarum hæreseon ingens chaos, & illam malorum iliada, quam scriptis suis & concionibus in orbem Christianum inuexerunt. Nimirum is angor conscientie, ea mentis trepidatio gustus quidam est diuini iudicij, quod aliquando propter excitatum hoc luctuosum religionis incendium portabunt. Interim mutuò se consolantur ut possunt;

Causa morbi conscientie.

m quem-

ANNO
1540.

Mutuae se-
ctariorum
consola-
tiones.

quemadmodum anno 1525. Lutherum ob incestas nuptias & votifragium conscientiae stimulis agitatum ipse Melanchthon, & nunc Melanchthonem Lutherus vicissim erexit: At erit tempus, cum huiusmodi consolationes evanescent; ubi nimirum ad supremi iudicis tribunal stabunt, rationem hoc nomine reddituri, quod soluto charitatis unitatisque vinculo, Christianum] populum in tot] factiones distraxerunt.

III.

In epist. ad
Cam. p. 337

Postquam utcumque restitutus est, Calendis Septemb. de paroxismo, quem sustinuerat, ad Camerarium scripsit in hunc modum: Nulla oratione explicare possum, quam horribiles dolores sustinuerim; qui interdum recrudescunt. Sensi καὶ τὸν διδάσκαλον (Lutherum intelligit) excruciaciari animo; sed ille suum dolorem repressit, ne meum augetet; meque erigere conatus est summâ animi magnitudine, non solum consolando, sed sæpè duriter obiurgando: Qui nisi ad me venisset, mortuus essem. Non multo post, quam conualuit,

Melancht.
Wormatiâ
missus ad
colloquiũ.

ab Electore Saxone cum alijs quibusdam VVormatiâ missus fuit ad continuandum, quod Haganoæ pridem cœptum erat, de religione colloquium: Vbi variae fuerunt & diuturnæ concertationes de forma colloquij, de notarijs, qui dicta collocutorum exciperent, de actis colloquij non publicandis, de ratione suffragiorum, de collocutorum numero, deque rebus id
genus

genus alijs; quibus ob Lutheranorum pertinaciam tempus in annum vsque sequentem extractū fuit: Vt non iniuria Cæsar per Granuellanum Protestantibus obiecerit, quòd hæctenus simularint concordiaæ studium, & consulto negotium extraxerint, vt interea viribus aucti atq; potentia paulatim res suas stabilirent.

Sanè quicquid in hoc conuentu de modo procedendi, nomine Cæsar, propositum fuit, id displicuit concionatoribus Lutheranis, qui magno numero, plures quam triginta VVormatiam conuolarant. Restitabant igitur perpetuò, & negotium altercando atque tergiuersando suspendebant. Qua in re detestanda est Sleidani malitia, qui more suo, quod hac parte fuit à Lutheranis peccatum, Catholicis impingit, & omnem actionis suspensæ culpam, quæ in istis hærebat, in hos nititur transfouere. Urgebant Lutherani, quorum consilia Melanchthon & Bucerus imprimis moderabantur, vt velut in theatro publicum institueretur colloquium; vt in eo liberum esset omnibus non modo ferre suffragium, sed & palam contradicere, siue consentaneam suæ parti siue dissentaneam, aut mediam inter vtrosque sententiam tuerentur; vt collocutorum non modo nudæ sententiæ, sed & rationes vel argumenta, eorumque explicationes integrè per Notarios exciperentur; vt si qui post primarios collocutores facultatem

ANNO

1540.

*In epist. ad
Cam. p. 346*
Protestantes cõcordiaæ studiũ simulant.

Sanioribus consiliis perpetuò restitant.

Lib. 13.
Sleidani mala fraus.

Lutheranorum instãtia.
Bucer. in ep. ad Naujet.

Publicum colloquiũ postulant.

ANNO
1540.

peterent adijciendi quippiam, ea non denegaretur.

Machina-
tio eorū de
repellendis
à collo-
quio pon-
tificiis
Theolo-
gis.

Hæc illi, aliaque id genus nonnulla; quæ præfides à Cæsare constituti probare non potuerunt: cum actionem huiusmodi viderent non turbulentam modo fore, sed & infinitam, imò fouendis augendisque, quam sopiendis controuersijs aptiorem. Iam verò & hoc machinabantur Melanchthon & Bucerus, vt nec Pontificij vel Romani, nec externarum nationum Theologi, nec monachi ad actionem designarentur, quæ de sopiendis in Germaniâ controuersijs instituenda esset, vtque ea, quæ conciliari per delectos non possent, non ad generale Concilium, sed ad quosdam germanicæ nationis Theologos definienda reijcerentur. Hæc isti; scilicet, vt Germaniâ à reliquis Christiani nominis prouincijs diuulsam in schismate confirmarét. Ad hunc verò ceu scopum quædam Melanchthonis, Buceri que consilia spectasse, deprehédi potest ex colloquio, quod VVormatiæ cum Theologo quodam Catholico priuatim habuerunt.

Eorum pri-
uatus con-
gressus cū
Nausea.

Is erat Fridericus Nausea, Ferdinandi Regis concionator aulicus, designatus iam in Episcopum Viēensem; cum quo Melanchthon anno 1526. cum in patria esset, de controuersijs horum temporum fuerat colloctus. Nunc, dum altercationibus omnia feruerent, salutandum putauit, velut amicum veterem, exploraturus, quænam esset ip-
sius

Nausæ vo-
luntatem
explorant.

fius de turbulētis hoc genus actionibus sententia. Itaque datis ad eum litteris memoriā refricat familiaris congressus ante quindecim annos habiti, & tempus atque locum sibi designari petit ad colloquium. Constituitur decimus nonus Decembris, quo die Melanchthon cum socio Crucigero pomeridianis horis ad Nauseæ hospitium accessit. Verbis vltro citroque commutatis, vt moris est inter salutantes, duo quædam ex Melanchthone Nausea quæsiuit, obtestatus vt simpliciter & syncerè respōdeat; facturum se vicissim, ait, in ipsius gratiam quiduis. Prius erat, Quid ipsi videatur de huius actionis progressu, num firmam ex ea sperādam & salutarem cōcordiam existimet? Alterum, An alia media nouerit ipse, per quæ controuersias sopiri commodius, & hoc conciliationis negotium ad honorem Dei, Ecclesiæq; salutem felicius transigi posse iudicet? Melanchthon adhæc, Esse, quæ Nausea quæsierit difficiliora, quā vt possit ad ea responderi. Missos se VVormatiam ad colloquium, cuius ne quidē initium sit factum hactenus; cū duos iam ferè menses integros hic sint morati. Itaque quis futurus sit huius rei successus, sibi quidem non esse promptum dicere: Fortè se breui eò redituros, vnde VVormatiam venerint. Ad alterum quod spectet, actionē forsan magis expeditā fore, si Catholici è Protestantibus, & hi vicissim ex illis ternos designent collocutores, qui propositis in mediū Augustanæ

ANNO

1540.

In libello,
cuius titulus est:

Colloq. priuata. A. ij. a

Colloquio
dies designatur.

Postulata
Nauseæ ex
Melancht.

ibid. A. 3. a.

I. de actionis progressu.

II. de remedio cōcordiæ.

Responsio
Melancht.

ANNO

1540.

Quales
Theolo-
gos expos-
cat.Peccatū &
errorē suū
faterur.*A. iij. a.*Replica
Nauseæ.Petit sibi
communi-
cari Me-
lanchth.
sententiā
scripto cō-
prehensam.Melancht.
litteræ ad
Nauseā ex
calculo la-
borantem.

Confessionis articulis conciliandi viam ten-
tent. Si quid maneat controuersum, id ad
Cæsareanos & Regios Theologos reijciend-
um, qui rationes exquirant de vtrisque in eā-
dem sententiam redigendis. Eam verò ad re-
Germanos, quam externos aliarum nationū
homines fore commodiores. Concludit tan-
dē his verbis: Peccamus, inquit, vtrique, nec
quæ scripsimus ipsi, nec quæ vestri, probari
possunt omnia: Id quod ego de meis scriptis
ingenuè fateor. Respondet Nausea: Quod tā-
to tempore extrahatur actio, eius rei culpam
in Catholicis non hærere, sed in ipsis potius,
qui tergiuersari videantur. Principia rerum
agendarum esse plerunq; difficilia; finem, Deo
propitio, meliorem fortè futurum, quam
quisquam speret. Nō discedendum cuiquam
re infecta, sed omnibus in commune summo
studio connitendū, ne spes & expectatio bo-
norum de hoc colloquio concepta eludatur.
Interim rogare se dicit, vt Melanchthon
sententiam suam de conciliandi modo scri-
pto comprehensam mittat: communicatu-
rum se vicissim ipsi, quæ forsan ab hoc in-
stituto non sint aliena. Atque ita tum qui-
dem discessum. Postridiè, qui vigesimus
Decembris fuit, Melanchthon epistolium
scripsit ad Nauseam ex calculo iam laboran-
tem, quo significat, exposuisse se sententiam
suam de negotio conciliationis breui scripto
pagellas aliquot continente, quod intellexe-
rit, Nauseam apud Granuellanum iā vidisse.

Salu-

Salutaturum se denuò ipsum, quandocunq̄
 voluerit, & coram ingenuè dicturum, quid
 sentiat: De alienis voluntatibus pacisci nec
 posse nec velle. Post 10. Ianuarij ann. 1541.
 Melanchthon, Bucerus & Cruciger languē-
 tem adhuc ex lithiasi Nauseam visiterūt, ve-
 lut officij causa. Habiti principio varij ser-
 mones, vt in huiusmodi congressibus fieri
 consuevit. Deinde Melanchthone verba fa-
 ciente, omnia se dicunt, in hoc cōciliationis
 negotio propensis animis facturos, quæ pos-
 sint salua pietate. Sed esse quosdam imprimis
 monachos morosiores, & omnia turbare, dū
 opiniones animo conceptas mordicus tueā-
 tur. Idē suspicari se de pontificijs oratoribus
 & Theologis, qui videātur à cōcordia pror-
 sus alieni. Interim se, qui vulgo Protestantes
 appellētur, nihil aliud postulare, nisi vt locū
 habeat veritas, quæ nūc passim, & apud ipsos
 quoq; cōtemnatur. Vtcunq; se habeant ista,
 per se quidē haecenus non stetit, quin pub-
 licus in causa religionis habitus sit congres-
 sus. Quod si ventum fuerit ad actionē, se cau-
 sę communi non defuturos: Rogare, vt ean-
 dem & ipse sibi commendatam habeat. Ad
 hæc Nausea Deum testatur, nullam se rem
 desiderare vehementius, quam vt pia fanci-
 tur in religione concordia: Quæ vt coi-
 ret, nihil se haecenus omisisse; nec deinceps
 quicquam reliqui facturum ad summam di-
 ligentiam. Quod verò pontificios oratores
 & theologos omnia turbare suspicentur,

ANNŌ

1541.

Ann. 1541.

Ibid. B. I. b.

B. ij.

Eius cum
 sociis ad
 Nauseam
 aduentus.

Pōtificios
 discordiæ
 traducit.

Replica
 Nauseæ.

Eius de sa-
 nitate Pō-
 tificiorum
 protesta-
 tio.

ANNO
1540.

eos falli vehementer, errareque toto caelo. Nullos ipsis ad dissidium hoc æquis conditionibus componendum esse paratioribus: quae de respondere se paratum ait. Nec eos in culpa fuisse, quo minus habitum fuerit Haganoæ colloquium. De monachis verò causam non esse, cur conquerantur. Eos, adeoq; Catholicos omnes nihil aliud ab ipsis postulare, nisi ut dent locum veritati; quam ipsi potius odio habere videantur. Hoc ubi fuerit ab ipsis impetratum, Catholicos nihil amplius desideraturos. Rogare se, ut missis circuitionibus rem serio tandem agant, nec aliud expectent à se, quam quod pacis amantem, & cōcordiæ studiosum in hac causa præstare deceat. Illi vicissim eadem à se Nauseam expectare iubent, atque ita tum quidem discedunt.

*Sleid. li. 13.*Colloquiū
vtriusque
partis,

Paucis diebus post, ad idus Ianuarij scilicet, conuentum tandem est post diuturnam altercationem, ut actionis fieret initium. Designati à Catholicis Eccius, à Lutheranis Melanchthon, qui verba facerent. Deinde confessus habiti fuerunt ad triduum; quod tēpus declamando potius, vel habendis concionibus, quam colloquendo transactū fuit. Disputatum verò de peccato originis tantum; de quo dogmate Melanchthon, cum ad congressum se pararet, scriptū confecit, quod licet ipsius iudicio Lutheranorum sententiā dilucidè satis, & simpliciter explicatam continebat, à socijs tamen reprehensum fuit:

Capita cō-
trouersa.
Melancht.
scriptum à
socijs re-
prehensum.

Qua

Quâ de re queritur in litteris 13. Ianuarij ANNO
 scriptis ad Camerarium : Ea , inquit , quæ 1540.
περι τῆς φυσικῆς κακίας scripseram, auxi. Cūq; *In lit. ad*
 ego putarem esse simplicissima , & maxime *Cam. pag.*
 dilucida, & propria, tamen reprehenduntur *354.*
 à nostris quoq; Facilis & iucunda est dispu-
 tatio, inquit Aristoteles, si geometres cum
 geometra differat. Ἐγὼ δὲ διαλέγομαι πολ-
 λάκις, ὅτι μόνον τοῖς ἀπαιδέτοις ἀλλὰ καὶ δυσ-
 κόλοις. Sed hos Aristarchas vtcunq; fero.

Hæc Melanchthon. Bucerus autem de *Colloq. pri-*
 nuo Nauseam per litteras interpellavit, infi- *uat. B. 4. b.*
 nuans esse res magni momenti, de quibus *C. f. ij. &*
 desiderium habeat cum ipso conferendi. Ve- *seq.*
 nit igitur 16. Ianuarij ad Nauseam nondum *Buceri ad*
 ex morbo restitutum, rogatusq; vt semotis *Nauseam*
 ambagibus causam aduentus sui breuiter ex- *accessus.*
 plicaret, longum sermonem ingressus est de
 sanandis Ecclesiæ vulneribus, & concordia
 rursus instauranda: Quæ cum Nausea patien-
 ter audiuisset, licet æger esset & debilis, ro- *Iubetur sē-*
 gavit Bucera, vt quæ differuerat paulo fu- *tentiā suam*
 sius, scripto comprehensa sibi communica- *scripto cō-*
 ret, vt rem hanc maturius secum posset ex- *plecti.*
 pendere. Fecit hoc Bucerus triduo post, &
 scriptum misit ad Nauseam; in quo de san-
 cienda Ecclesiæ concordia, suam Melanch- *Summa*
 thonis, cæterorumq; sententiam liberius a- *scripti Bu-*
 peruit, ad hunc ferè modum: Principio per- *ceri.*
 suadendum Cæsari, & Ferdinando Regi, vt *Quales*
 ipsi & Ordines Imperij omnes, cuiuscunq; *Collocu-*
 sint religionis, viros quosdam doctos, com- *tores deli-*
 m 5 *modos,*

ANNO
1541.

Pontificij
excludēdi.

Concilium
reijcit.

Fidem suā
eiusque fir-
mitatem
ebuccinat.

Quales Af-
fessores in
colloquio
petat.

modos, & pacis amantes deligant, qui non modo decidant controuersias, sed Ecclesiae quoque reformationem instituant: Ab horum numero Romanos, aliarumque nationum homines & aduenas arcēdos; ut qui iustam causae cognitionem impedire conentur, & ambitiosi sint, nec sese accommodent ad Christi normam, & rerum germanicarū sint imperiti. Quod si fortē succenseant eam ob causam, ferēdam potius illorum iracundiam etiam maximam, quam offendatur Christus. Ut per generale concilium Ecclesiae rectē consulatur, non expectandum. Itaque studia Pontificiorum & omnium aliorum, qui velint impedire, quo minus Germaniae quamprimum per commune concilium Ordinum Imperij succurratur, Cæsari ac Principibus cōtemnenda, Protestantes fuisse semper, atq; etiā nunc pacis cupidissimos: se sociosq; conuentionatōres de fide in Christū & salute consequendā rectē docere: Habere etiam in votis, ut plenissimē restituatur Ecclesiae disciplina, quam apud ipsos nimium iacere fateatur. Nō se repugnaturus, quin Episcopi Metropolitani, primates, & primi illi Patriarchae, sicut olim cōstitutū sit in primarijs illis Sanctissimisq; Concilijs, utantur potestate sua, & locum dignitatis obtineant. Imō faciliē consensuros, ut ad eum modum administraretur tota politia Ecclesiastica, quo vetera Concilia decreuerunt. Nec quicquam de Cleri vel populi disciplinā traditum in veteribus

ribus Canonibus, quod non in votis habeant
 quamprimum restitui; duobus tantum capi-
 tibus exceptis: Cēlibatu sacerdotum scilicet,
 & ieiunijs, alijsque id genus corporis castiga-
 tionibus. In summa, quicquid docendum,
 quicquid in sacris concionibus vsurpādum,
 quicquid in disciplinā obseruandum sancti
 Patres docuerint, & in Ecclesijs vsurparint,
 id se nō spreturos. Interim timeri fortē diffi-
 cultatē in eo, quod Episcopi & Pręlati, Prin-
 cipes sint, & Satrapę ditionū externarū. Ve-
 rüm istos in principatu rerumq; externarum
 administratione manere posse, modo curent,
 vt Ecclesijs de Pastoribus idoneis & mini-
 stris prospiciatur. Hęc Cæsari & Principibus
 Germaniæ exponenda fideliter, ait, & per-
 suadenda. Ipsi enim summi Pastores nostri
 sunt, inquit, ipsis omnis anima subiecta esse
 debet in hoc ipsorum quidē Imperio; & Deus
 nunc maximā eis occasionam offert res Ger-
 manicę sanctē & feliciter pacificādi. Hęc Bu-
 cerus ad Nauseam; ex quibus liquidū satis est,
 cur tanto tēpore, tamq; pertinaciter altercati
 sint Lutherani, & qualē conciliandę religio-
 nis formā animo cōceperint: scilicet, quę per
 Germanicę nationis homines tātū ex ipsorū
 voto delectos, Pōtificijs Theologis, & aliarū
 nationū viris religiosis exclusjs, Principum
 Imperij tanquā Pastorū autoritate dirigatur.
 Interea Cæsar de pertinaciā Lutheranorū &
 tergiuersatione monitus, datis ad Granuella-
 nū litteris suspendit actionē, eamq; ad Ratil-
 bonen-

ANNO

1541.

Duo capi-
 ta extra
 controuer-
 siam ponit.

SS. Patribꝫ
 sese accom-
 modat.

Verba Bu-
 ceri.

Ibid. C. 5. A.

“

“

“

“

“

“

“

Quale Cō-
 ciliū Pro-
 testantes
 petant.

Cæsar acti-
 onē reijcit
 ad Cōuen-
 tū Ratisbo-
 nensem.

ANNO
1541.

bonensem conuentum reijcit, mense Martio celebrandum hoc eodem anno, ad quem ipse venire decreuerat: Quâ re per Granuellanum in confessu denunciaat colloquium solutum fuit.

V.
Calvinus
sefe in-
nuat in so-
cietatem
Luthera-
norum.

Eius inge-
nium co-
lubrinum.

Melanch-
thonem
dementat.

Caluin. cõt.
Heshuff.

Venit VVormatiam inter cæteros & Ioannes Calvinus, quem Bucerus Argentorato secum adduxit; vbi ab anno 1538, quo Geneuâ per Senatum eiectus est, in exilio vixerat. Hic Lutheranis se concionatoribus adiunxit; quanquam ab ijs in dogmatibus quibusdam magni momenti, cum primis in re Sacramentariâ toto cælo dissidebat. Erat is homo versipellis admodum, & ingenio prorsus colubrinum; nec aliter se habuit in hoc conuentu, quam si Lutheranis partibus & Augustana Confessione penitus esset addictus. Imprimis Saxonum amicitiam ambiebat magno studio, seq; familiariter insinuabat in Melanchthonis & Crucigeri consortium; cum quibus suauiter & intimè confusurravit. Inclinabat iam pridem ad Sacramentarios Melanchthon, per Bucera emollitus anno 1536, vt ante diximus. Verum in hoc congressu spiritum Sacramentarium, cuius primitias iam ante delibarat, è Caluini pectore plenis faucibus hausisse videtur. Et quidem, nisi me fallit coniectura, vel VVormatiæ, vel certè paulo post Ratisbonæ contigit illud, quod Calvinus in Heshuffium scribens memorat, Melanchthonē scilicet fatigatum laboribus, aut sub aduersis fatiscentem, vel
centies

centies reclinasse caput in sinum suum, & in ANNO
 hæc verba prorupisse: Vtinam, Vtinam in 1541.
 hoc sinu mori mihi liceat? Certe deprehen-
 sum fuit in conuentu V Vormatiensi, quod
 Melanchthon ab eo tempore, quo vel caput
 reposuit in Calvinismum, vel commercium
 cū eo habuit, ferocior factus est & asperior
 in Catholicos; nec eam adhibuit in actione
 moderationem, quam in Augustanis Comi-
 tijs anno 1530 præ se tulit. Isthic enim Ca-
 tholicis multa concedere voluit, seq; pacis
 & concordia studiosum exhibuit, adeoque
 commodum, vt hoc nomine malè audiret
 apud socios, qui causam euangelicam largis
 ipsius concessionibus proditum iri iudica-
 bant. At in hoc V Vormatiensi conuentu
 satis distortum se præbuit, & solito durio-
 rem; vt hausto Caluini genio, à moderatis
 consilijs pacisq; studio nunc alienus esse vi-
 deretur: Quem eundem agendi modum, &
 Ratisbonæ secutus est, vt paulo post dice-
 mus.

Melanch-
 thon per
 Caluinum
 factus as-
 perior.

C A P V T X V.

- I. *Mutatio religionis in Ducatu Brunsvi-
 censi consilio Melancht.*
- II. *Eius Ratisbonam aduentus, infortunium,
 colloquium, asperitas & somnium.*
- III. *Disceptatio cum Melanchthone. eius fraus
 & crimen falsi, cum Ordinum responso &
 apologia Melancht. concordia negotio
 Brandenburgio demandato.*

IV. *Per*

ANNO
1541.

IV. *Per obitum Episcopi Naumburg. trepidatio Luth. inter & Melancht. ob dissidium inter Maur. & Elect. Duces Sax. Langrauij interuentu compositum.*

I.

Chytr in Sax. p. 448. Ericus Brunswicē- sis moritur

Eius vxor mutat religionem.

Melanchthonem in consilium adhibet.

Henricus Dux Mezentio cōparatus.

TEMPORE superioris cōuentus, qui Haganox fuit, Brunswici Dux Ericus senior, V Vilhelmi filius, Princeps insignis, & Catholicę religionis amātissimus, anno aetatis septuagesimo supremum vitę diem clausit, Erico filio, quę vnicum habebat, duodecim annorum adolescente relicto. Vidua iunioris Erici mater, Ioachimi primi Brandenburgici Electoris filia, susceptā ducatus administratione, de consilio procerum religionis mutationem induxit. Hanc rem & Melanchthon in consilium adhibitus non parū promouit, datis subinde litteris ad Mitobiū quendam aulę medicum, in quibus modum pręscribit, quem in mutandā religione sequendū iudicet. Institutum hoc viduę Principis vehementer improbavit, & quibus potuit rationibus impedire conatus est Henricus Brunswici Dux, iunioris Erici patruelis, quem Melanchthon hanc ob causam Mezentium per contumeliam appellat. Verū frustra laborauit Princeps in religione feruentissimus: Nec enim potuit impedire, quo minus ex consilio Molanchthonis, eorumque voto, qui nouis rebus studebant, religione maiorum abolitā Lutheranismus induceretur; propterea, quod contagio nouorum dogmatum subditos maximam partem, ciuita-

tes imprimis Hannouerã, Gottingam, alias- ANNO
 que iam pridem infecerat. Vocatus verò fuit 1541.
 ex Hassiã vicinã quidam Antonius Corui- Coruinus
 nus, homo plane Lutheranus, vt hoc mutan- ex Hassia
 dæ religionis negotium dirigeret: quẽ aiunt vocatur ad
 in expilandis Ecclesiarum & Monasteriorũ disseminan-
 thesauris manus habuisse paulò rapaciores, dum Euan-
 quam honestum virum deceat. Quã ob cau- gelium.
 sam Melanchthon, cum hac de re scriberet, Sacrilegij
 velut pungens id genus harpias, reformatio- reus.
 nem ait, nõ à ceremoniarum mutatione, aut A Melãch-
εικονοκλάσει, vel cœnobiorum direptione, thone pun-
 sed à doctrinã vtili ac salutari in cõcionibus gitur.

Cæterum Ericus iunior, vbi adoleuit, pa- Ericus in
 tris exemplum secutus, adhæsit religioni Ca- religione
 tholicæ; atq; id quidem ad extremum vsque conitans.
 vitæ spiritum. Et quia subditos ab eã vidit
 auersos, nec errorẽ matris in religione mu-
 tandã commissum corrigere potuit, molestũ
 fuit Catholico Principi morari apud subdi-
 tos Ecclesiæ perduelles. Ideoque in Italiã, in Ob pietatẽ
 Hispaniã, in Belgio maximam ætatis partem exul.
 transegit, & tãdem anno 1584. exeunte Papię Papię mo-
 mortuus est, non relictã prole legitimã, quæ ritur.
 succedere in principatu posset.

V Vormatiensis actio de dogmatum con- II.
 ciliatione mandatu Cæsaris ad Ratisbonen- Melanch-
 sem cõuentũ erat reiecta, quẽadmodũ supra thon ad-
 diximus. Ad hanc igitur cõtinuandã, & Me- uetus Wor-
 lanchthon cũ alijs Electoris iussu profectus matiam ad
 fuit: sanè nõ admodum lubens; quod hausto colloquiũ

iama

ANNO

1541.

Caluinif-
mo infe-
ctus.Vehiculo
excussus
manum
lædit.*Camer. in
vita Mel.
pag. 197.*A medicis
ægre cura-
tur.*In ep. ad
Cam. p. 356.
357.*Causæ hu-
ius infor-
tunij.

iam largius Caluini spiritu animum haberet ab huiusmodi pacis consilijs alienum; quem admodum vbi ventum est ad actionem, re ipsa fatis declarauit. Iuit tamen, quia sic voluit Elector; licet genio repugnante; nec admodum bonis auibus, quod aiunt. Nam in itinere, cum ad superiorem Palatinatum venisset, aurigæ negligentia factum est, vt vehiculo, quo vehebatur euerso, dextra manus ossiculis quibusdam quassatis grauiter læderetur. Auxit malum chirurgorum error, qui cum luxatam esse negarent, non quam debebant curandi rationem adhibuerunt. Tametsi verò diligenter curatus fuit, & sollicitè; Cæsaris etiam adhibito chirurgo hominè Burgundo; mansit tamen aliquid incommodi, nec vnquam integrum dextræ manus vsum recepit. De causis huius infortunij Melanchthon ipse scribit ad quendam ex intimis in hunc modum: Non quæro astrologicas causas; etsi proxima Eclipsis mihi minata est; & eo die, quo manus luxata est, oppositio fuit Saturni & Martis: Sed aliæ superiores causæ sunt: Diuinitus plector, ac iustas pœnas do, cum aliorum meorum delictorum; tum verò etiam huius meæ facilitatis, quod futilibus & insulsis consilijs adhiberi me sino, contra tot præcepta sapientum. Hæc Melanchthon; Eam ob causam asserens se diuinitus puniri, quod actionibus interesset ad componendum religionis dissidium, & pacem orbi Christiano restituendam per

Cæsa-

Cæsarem institutis. At si vindicta Dei fuit in ANNO
 hac manus contritione, eam sine dubio pro- 1541.
 pter excitatas turbas sustinuit potius, quam Vindictam
 quod de sedandis motibus, & pace postlimi- quare à
 nio restituendâ cum alijs deliberaret; Nimi- Deo passus
 rum vt illa manus affligeretur & contabes-
 ceret, vt scribit ad Camerarium, quæ contu-
 melias in Deum, in Ecclesiam, in Sanctos
 scripserat, quæ tot venenata spicula torserat
 in aciem castrorum Dei viuientis ordinatam; virulentia.
 imò qua scribendis libris velut ligna congef-
 serat ad alendum, augendumque luctuosum
 illud incendium, quo Germania non solum,
 sed & Europa ferè hæctenus conflagrauit.

*Ad Cam.
 pag. 363.
 Ob manus
 virulentia.*

Vbi Ratisbonam ventum est, Cæsar
 ipse 13. Aprilis per Fridericum Palatinum
 tres vtriusq; partis designat ad colloquium,
 qui cœptum VVormatiæ de conciliandis
 dogmatibus actionem resumerent & conti-
 nuarent: E Catholicis Ioannem Eccium, Iu-
 lium Pflugium, & Ioannem Gropperum; E
 Lutheranis verò Philippum Melanchtho-
 nem, Martinum Bucerum, & Ioannem Pi-
 storium. Hos deinde Cæsar ad se vocauit 22.
 Aprilis, eosque clementer allocutus est, & sa-
 tis comiter admonuit, vt positis affectibus
 ob oculos habeant vnius Dei gloriam, Ec-
 clesiæque salutem, & amanter de dogmati-
 bus controuersis inter se conferant, atque
 hoc dent operam imprimis, vt orbi Chri-
 stiano pristina tranquillitas restituatur.

*Sleid. lib. 13.
 Comitia
 Ratisbonæ.*

*In epist. ad
 Cam. p. 358.
 Collocuto-
 res à Cæsa-
 re de con-
 cordia mo-
 nentur.*

Deinde præsides actionis designati fuerunt,
 n
 Fri-

*Præsides
 actionis.*

ANNO 1541. Fridericus Palatinus & Granuellanus : Quidam etiã ex vtraq; parte constituti, numero sex, terni & terni, qui velut testes adessent.

Liber Concordiæ profertur. Initium actionis ad 27. Aprilis factum est, verba faciente Palatino. Deinde Granuellanus librum quendam collocutoribus proposuit, in quo Cæsari persuasum erat, temperatã verborum compositione modum demonstrari, ad tollendam sententiarum discrepantiam oportunum.

Chytr. in Sax. pa. 452 à Gerardo quodam Veltvichio Cæsaris familiari compositum: tametsi sunt, qui non ab vno consarcinatum existiment; & Bucerum etiam mirabili quadam vsu vafritie de suo quippiam in eius texturam contulisse, quam id, vt erat magnus simulator, in colloquio fortiter dissimulauit: Eccius quoque Melächthonicæ dictionis filium de eo apprehendit; quemadmodum absoluto colloquio testatus est, cum iudicium suũ in libro missã scedã principibus insinuaret.

Surius in Chro. p. 360 Voluit autem Cæsar, vt collocutores ordine, iuxta capitum seriem examinarent librum istum, & quid vtrique vel alterutri probandum in eo censerent, quid improbãdum corrigendumve, notis adiectis indicarent: nimirũ vt actio tota in hoc scripto, ceu quodam cardine verteretur; Quã in re voluntati Cæsaris obtemperatum fuit. Itaque lectus est in conuentu liber, atque examinatus à capite ad calcem vsque. Et nonnulla quidem eius capita partit vtriusque consensu correctã fuerunt, &

Cæsaris voluntas in examinando libro per ordinẽ. vtrius-

vtriusque probata: De quibusdam verò res ANNO
hæsit, nec collocutores in eandem sententiam 1541.
coire potuerunt.

Cæterum in actione Melanchthon reliquis
durior fuit, & intractabilior: Quod cum Cæ-
sar intelligeret, qui conciliandæ pacis erat cu-
pidissimus, Philippum Hæsiæ Landgravium
ad se vocavit (Electo enim Saxo per Luthe-
rum deterritus ad hæc Comitia non venit)
monuitq; ut Melanchthonem, qui cæteris esset
asperior, ad mitiora consilia reuocaret. Ioachi-
mus etiam Brandenburgicus Elector, qui reli-
gione mutata Lutheranorum partibus ante
biennium accesserat, legationem misit V Vit-
tenbergam ad Lutherum ipsum; quæ Principes
tractabiliorẽ fore putabant in hoc conciliandi
negotio, quã Melanchthonem experiebatur.
Cæsar hæc duritiem suspicabatur haustam ex
colloquio, quod eum intellexerat habuisse cum
Legato Gallico, à quo Melanchthonem ferunt
per id tempus inuitatum ad suscipiendam pro-
fectionem in Galliam, quã anno 1535. cum à Rege
per litteras euocatus esset, in aliud tempus su-
spenderit. Alij certis illum cancellis à Luthero
circumscriptum arbitrabatur, extra quos egre-
di non auderet; obseruari etiam à collegis &
cohiberi, ne longius in actione progrediretur,
quam ferebant mandati limites, quibus Ele-
ctor Saxo per Lutherum monitus, Melanchtho-
nem ad Comitia proficiscentem incluserat. Im-
primis verò Calvinus VVormatię partim, par-
tim in hoc cõuentu Melanchthonis animum

Liber partim appro-
batur, partim in con-
trouersia manet:

Melanch-
thonis du-
rities.

In ep ad
Cam. p. 362
& 364.

Variæ de
eius intracta-
bilitate
opiniones.

Cam. in vit
Mel. p. 198.

Melanch-
thon Lu-
thero alli-
gatus.

A Caluino
virulentiam
inficitur.

ANNO
1541.

*In Catalogo
Doctorum,
tam Cath.
quam Prot.*

virulentiæ maioris & odij flammis in Catholicos accenderat. Hunc enim inter Lutheranos garriendo multa turbasse poeta quidam indicat, qui VVormatiæ de singulis, vtriusque partis Theologis, singula fecit disticha; de Caluino hunc in modum canens:

Quaeso, quid indignè tot fundis inania verba?

Doctus es; at quid tum? sis quoq; porro pius.

Melancht.
apud Cæsarem se purgat.
*In ep. fol.
pag. 50.
Ab vtrisque
laccessitur.*

Interim Melanchthon, cum Cæsarem intelligeret asperitate suâ offensum, litteras ad eum dedit purgandi sui gratiâ; quibus iniuriam sibi fieri queritur: nihil amplius se, quam concesserit aduersarijs, in actione largiri potuisse. Accusari se, ait, à suis, quasi languidus egerit causam, & aduersæ parti pacis & concordiae studio nimium indulserit: Ab aduersarijs verò duritiem sibi atque asperitatem obijci: Nec videre se, quid faciat aliud,

*Cam. in vita
Mel. pag.
198.*

nisi vt missionem petat. Cæterum actionis tempore perplexus erat Melanchthon, & anxius de rei exitu, seque die noctuque curis conficiebat: Quin & somnijs quibusdam per quietem exagitatus fuit & territus; quæ, vt multum tribuebat huiusmodi phantasmatibus, ipse diuulgauit.

*In colloq.
mens. tom. 1.
pag. III.
Somnium
Melanchthonis.*

Inter ea videtur & illud fuisse, quod Lutero postmodum recensuit in hunc modum: Erat locus quasi angustus, & antiquum quoddam templum. In eo videbam sedentem Martinum Lutherum non longè à fenestrâ: huic oppositum erat in mensâ poculum vino plenum. Jonas Pomeranus, & quidam alij Doctores Lutero assidebant.

Vide-

Videbar mihi ingredientem videre Papam ANNO
 Paulum Tertium. Ibi ego Philippus apprehendens Papam dixi : Sanctissime Pater , fa- 1541.
 cias pacem in Ecclesiâ. Respondet Papa tu- “
 multuosè & iracundè : Reclamate, reuoca- “
 te, & statim erit pax. Instabam ego; Domine, “
 neque tempora, neque res postulant, vt re- “
 uocemus. Respondet Papa : libèter tollerem “
 omnes abusus. Deinde videbar mihi videre “
 totum ordinem Cardinalium lugubri vesti- “
 tu & atro incedentium. Postea aderat ingens “
 numerus Lutheranorum vili vestitu, sicut in “
 Thuringiâ vidi incedere quosdam sacerdo- “
 tes ruris. Tandem aderat Cardinalis Campe- “
 gius; is ducebat Papam quasi sultètans. Tunc “
 Cardinalis canticum funebre incepit, quod “
 in vigilijs canitur : Libera me Domine, &c. “
 Illicò Lutherani incipiunt lætissimum & “
 triumphale canticum : Christus resurgens à “
 mortuis iam nō moritur, mors illi vltra non “
 dominabitur. Hoc Philippi somnium, inquit “
 Colloquiorū mensaliū consarcinator, Mar- “
 tinus Lutherus laudabat, dicens eum habere “
 donum somniorum. “

Verùm missis somnijs, ad actionem reuer-
 tamur; quæ propter Melanchthonis perti-
 naciam in quibusdam capitibus acris fuit &
 vehemens. Disceptatum principio de Iustifi-
 catione: Quanquam in isto capite tandem
 inuenta est inter vtrosque conciliandi ratio.
 De Ecclesiâ verò, deq; Concilijs generalibus
 diuturna fuit & acris concertatio, neutris à

III.

*Bucerus in
act. Colloq.*

ANNO

1541.

Articulus
de Ecclesia
& concilij
manet in
controver-
sia.

Melanch-
thonis per-
uersitas.
In ep. Sel.
pag. 128.

Eius mala
fides in Cō-
fessione
aperitur.
Sel nec. in
desig. resp.
ad Petzel.
pag. 34.

Locus ab
eo in arti-
culo de Eu-
charistia
mutilatus.

sententiâ discedentibus. Lutherani synodos generales & Ecclesiam in dogmatibus errare posse labique contendebant: Quod Catholici nullo pacto concedendum censuerunt; ut qui contumeliam hanc in Christum ipsum, & in Spiritum S. Ecclesiae atq; synodorum generalium moderatorē redundare dicerent. Itaque res hæsit in isto capite; in quo neruus est, & cardo vertitur omnium controuersiarum. Melanchthon verò cum primis hic recalcitrauit; Idq; tanto feruore, ut postmodū in epistolâ quadam scripserit, sententiā Catholicorum de Synodis & Ecclesia; quod nimirum in dogmatibus errare nequeant, ne quidē in tauro Phalaridis probandā: Quoduis potius suppliciorum genus ferendum infinuans, quam ut causam suam Ecclesiae vel Concilio generali definiendam submitterent. Ventum deinde ad locum de Sacramento Eucharistiae; vbi Melanchthoni per Catholicos obiectum fuit, quod decimum articulum Augustanae Confessionis in posterioribus editionibus scædè mutauerit & mutilarit; idque in gratiam Sacramentarium, qui sub nouâ verborum formâ receptaculum inueniant: Accidit hoc plerisque Lutheranis inopinatum, qui fraudem mutatae confessionis non aduerterant. Verum res ad oculos, quod aiunt, à Catholicis demonstrata fuit: nimirum, quod vocem, A desse, sustulerat, & vltimum articuli membrum remouerat, quo Sacramentarij condēnantur. Itaque

cum negare nō posset obiectum falsi crimen, restituere coactus fuit cū rubore, quod fur-
 tim abstulerat, & articulum ijsdem verbis
 formatum reponere, quibus in prima Con-
 fessionis editione cōceptus erat. Quanquam
 ne sic quidem integritati suæ restitutus fuit:
 Cum enim legeretur in confessu Principum
 Cōfessio (quod in lingua germanica factum
 constat) non cum pane & vino; sed sub specie
 panis & vini verum Christi corpus & sangui-
 nem adesse dicebatur: Quæ confessio muta-
 tionem elementorum, vel transsubstantiati-
 onem includit. Hanc de Eucharistia concer-
 tationem Bucerus in historia colloquij pro
 sua fraudulentia cautè dissimulavit, ne suam
 ipsius & Melanchthonis fraudem atque tur-
 pitudinem detegeret. Secuta est collatio de
 pœnitentia, deque absolutione: Vbi quæstio
 disputata fuit; An peccata mortalia, quæ con-
 scientiam grauant, in confessione sint aperi-
 enda? Catholici faciendum hoc asseruerunt
 adductis rationibus: Lutherani pertinaciter
 & magna contentione negarunt. Melanch-
 thon imprimis Catholicorum sententiam
 oppugnauit accerrimè, quam Regnum
 Confessionis appellat. Irritatus fortè fuit
 obiecto falsi crimine, de quo diximus:
 Ideoque grauiter excanduit, vt illatam
 contumeliam vindicaret. Disputatum por-
 ro de satisfactione, quæ tertia Pœniten-
 tiæ pars est; de disciplina atque politia Ec-
 clesiastica; de Sanctorum inuocatione,

ANNO
 1541.
 Melanch-
 thon lege
 Cornelia
 de falsis
 damnatus.
 Cū rubore
 restituit.

De Pœni-
 tentia con-
 trouersia.
 In ep. Sel.
 pag. 59.

De satisfac-
 tione, &c

ANNO de missâ, de communione, de Sacramento-
1541. rum usu; de coniugio sacerdotum: Quibus
Bucerus in de rebus hæsit controuersia. Absoluto collo-
act. f. 88. 92 quio, quod exeunte Maio factum est, liber
Cæsari redditus fuit, notatumq; quæ capita
conciliata sint collocutorum studio; quæ ve-
rò non potuerint conciliari.

Liber Cæ-
sari cū no-
tis redd. tur

Cæsar Or-
dines de
remedio
concordiæ
consult.

Ordinum
responsio.

Legatus
Pontificis
Côtarenius.

Cæsar collaudatâ ipsorum industriâ, quid
factum sit, ad Ordines referendum putauit,
eorumque sententiam exquirendam. Igitur
librum cum additamentis collocutorū octa-
ua die Iunij Ordinibus offert in confessu,
eosq; hortatur, vt perlectis omnibus in me-
dium consulant, quid porro deinceps in hac
causâ censeant agendum. Illi, re multum de-
liberatâ, secūdo Iulij librum cum omnibus,
quæ adiuncta erant, restituumt, rogantq; Cæ-
sarem tanquam supremū Aduocatum & de-
fensorē Ecclesiæ, vt Legato Sedis Apostolicæ
in consiliū adhibito, conciliatos articulos di-
ligēter examinet, an verbis eorum, aut sensu
quicquam contineatur, quod cum doctrinâ
Sanctorum Patrum, & laudatis Ecclesiæ cō-
suetudinibus non conueniat: Deinde Prote-
stantes quoq; permoueat, vt ad reliquos etiâ
conciliandos articulos animum pacis & tran-
quillitatis amâtem adferant; vel, si hoc ab ijs
non possit impetrari, operam det Cæsar, vt
controuersia tandē per generale, vel germa-
nicæ nationis Conciliū legitimè dirimantur.

Erat legatus Pontificis ad hæc Comitia
Caspar Côtarenius, S. Apollinaris Presbyter
Cardi-

Cardinalis, vir doctissimus non modo, sed ea quoque pietate atque integritate morum præditus, ut nec invidia ipsa haberet, quod in eo carperet. Hic igitur perlectis omnibus, quæ Cæsari per collocutores erant exhibitæ, breui scripto sententiam suam declaravit in hunc modum: Quia Protestantes in quibusdam dogmatibus à cōsensu Ecclesiæ Catholicæ discesserint, ad quem paulatim per Dei gratiam reduci possint; qua de re nō desperandum ait, videri cōsultum ne quid amplius de rebus istis nunc definiatur: Sed ut causa omnis referatur ad Pontificem, per generale Concilium, aliave viâ pro rerum & temporum conditione, secundum Catholicam veritatem ad eum modum definienda, uti è re totius orbis Christiani, & nobilis huius germanicæ nationis futurū videbitur. Huic scripto paulò post subiunxit & aliud quoddam ad Ordines, in quo commemorat, quid cum Episcopis egerit de negotio reformationis, quam intimis bonorum omnium votis desiderari non ignorabat.

Melanchthon verò, cum hæc scripta legisset, rogatus à socijs arrepto calamo, sub nomine concionatorum Augustanæ Confessionis, breuem apologiam opposuit; In quâ se præiudicio quodam per Cardinalem grauari quæruntur: Iniuriam sibi fieri dicunt, quod defectionis accusentur à dogmatibus Ecclesiæ Catholicæ, cuius vnanimem consensum amplecti se tuerique, nec ab eo dis-

ANNO

1541.

Ibid p.142.
Eius de libro sententia.

Ad Concilium controuersie referendæ.

Buc. in act. pag 152.
Sleid. l. 14.

Apologia Melancht.

ANNO
1541.

cessuros profitetur. Illud etiam valde reprehendunt, quod Episcopus monuerat Contarenus, ne contagium hoc nouorum dogmatum latius per Germaniam serpere paterentur.

*Gropp. in
resp. ad Buc.
fol. 43. b.*

Concordiæ
negotium
Brandeburgico
demandatur.

Dum hæc aguntur, Electori Brandeburgico & Episcopo Constantiensi mandatum à Cæsare fuit, vt periculum facerent, an nõ in reliquis etiam articulis aliqua posset inueniri conciliandi ratio? Et hi quidem egerunt eade de re serio cum Lutheranis, quibus calamitates publicas & ingentia mala proposuerunt, quæ, nisi concordia nunc sanciat, Germaniæ videantur impendere. His causam duros ipsos, nisi se toto affectu ad pacis studium adiungant. Hæc illi prolixius; sed furdis cecinerunt fabulam: Neque enim vt voluntati Cæsaris obsequerentur, vllis rationibus induci potuerunt. Tandem post varias deliberationes actio de religione conclusa fuit, fecitque decretum Cæsar de consilio Ordinum, quod in concessu 28. Iul. recitatum est; In quo causa hæc omnis ad Concilium Oecumenicum, quod breui sit habendum, vel ad synodum nationis germanicæ, vel certè ad conuentum Imperij nouum reijcitur.

*Sleid. li. 14.
Buc. in act.
p. 246.*

Controuersia
ad Concilium
reiecta.

Melanchthon
cogitat Ca-
merarium
Lipsiam e-
uocare.

Vbi domum redijt Melanchthon à Ratibonensi colloquio, laborauit nonnihil cum alijs quibusdam, vt Ioachimus Camerarius, quem inter omnes familiares vnicè diligebat, honestis conditionibus ad Lipsiensem

Aca-

Academiam vocaretur: Quam ob causam ipse Lipsiam profectus est in Augusto: quo nō diu post, Octob. mense scilicet, Camerarius Tubinga relicta cum suis commigrauit, Melanchthonis iudicium secutus, qui iam pridem eum sibi viciniorem optarat.

Interēa Henricus Saxoniae Dux, Georgij frater, qui Camerarium euocarat, è vita decedit, relicti duobus filijs, Mauritio & Augusto: Quorum maior natu Mauritius patri successit, princeps vigesimum secundum ætatis annum ingressus: qui duobus ferè mensibus ante patris obitum Agnetham Philippi Lādgrauij filiā in matrimonium duxerat.

Sub idem tempus obiit & Philippus Palatinus, Naumburgensis Episcopus; cui Canonici Iulium Pflugium surrogarunt, Cæsaris Pflugij filium, virum nobilem, excellēti ingenio atque eruditione non vulgari præditum; ijs etiam rebus gerēdis exercitatum ab adolescentia, vt prudentia nō vulgari polleret: Quem & Melanchthon propter excellētem doctrinā in amicorum numero habuit. Hunc verò tam insignem virum Ioānes Fredericus Elector, Aduocatus Ecclesie Naumburgensis, eam ob causam ferre noluit, quod Catholicæ religioni constanter adhærebat: Ideoq̄ Nicolaum Ambsdorffium, hominem prodigiosè Lutheranum, Iulio repudiato, Namburgēssem Episcopum constituit autoritate sua: Quem cum anno sequente 1542. mense Ianuario à Luthero consecratum

ANNO

1541.

Henricus Saxo moritur.

Duas proles post se relinquit.

Cam. in vit. Mel.

p. 201.

IV.

Naumburgens. Episcopi obit.

Iulio Pflug. in eius locum succedit.

Eius episcopatum inuadit Ambsdorffius.

Ann. 1542.

A Luth. consecratur.

cratum

ANNO
1542.

Factū hoc
à Mauritio
improba-
rum.

Simultati
inter Saxo-
nes occa-
sionē dat.

Melancht.
armis prin-
cipū per-
cellitur.

Causa per-
cussionis.

cratum in cathedrâ solenni ritu collocaret, Melanchthonem quoque præsentem esse voluit. Is verò tametsi Iulium magni faciebat, & amabat plurimum, Naumburgum tamen profectus, inaugurationem Ambsdorffij pseudoepiscopi præsentia sua confirmavit; nihil moratus, quod amico veteri legitime per Capitulum electo, contumeliam cum iniuria coniunctam irrogaret. Imò ad introducendum Lutheranismū in diocesi hanc, & ad scholas constituendas consilium, operamque suam contulit. Mauritius verò Saxonix Dux, quanquam in Lutheranismō educatus erat, vehementer tamen improbavit factum illud, & Iulio, quem legitime nouerat electum, insignem ab Electore iniuriam illatam censuit. Atque ea res inter principes istos, simultatis & disidij fomitem minitrauit; ex quo paucis mensibus post, sub finem quadragesimæ, cum & aliæ quædam offensiones accederent, manifestum bellum exarsit. Tum verò Melanchthon, cum vtrinque subditos ad arma vocari, conscribi que militem intelligeret, quòd in hebdomada sancta factum est, vehementer perculsus fuit, nihil aliud sibi quidem expectandum ratus, si res ferro transigeretur, quam vt confossus, vel quoquo pacto trucidatus occumberet. Cæterum quam ob causam panicus hic terror eum inuaserit, incertum est; nisi quod Electori cum cæteris VVittenbergenfibus adhærebat; & in hoc negotio Mauritium acris

acris ac vehementis ingenij principem verbo, facto, consiliove forsan offenderat: Quod in huiusmodi principum disidijs admodum proclive est; vbi dicta eorum & facta diligenter obseruantur, qui vel affectu quodam spontaneo, vel alias ob causas alterutri parti adhærescunt. Vt vt sit, certè si Mauritius superior euaderet, Melanchthon non Electori modo, sed & VVittenbergentibus vehementer metuebat. Quod hæc ipsius verba testantur ad Lutherum: Elector noster statum causæ intelligit. Illi (Mauritiani) volunt nostrum principem opprimere, & nos funditus delere conantur.

Dum verò in armis essent principes, & omnia spectare viderentur ad conflictum, passim trepidatum fuit, eratque magnam expectatio, quorsum tandem hic motus euaderet. Qua de re Lutherus ad ii. Aprilis in domo Crucigeri, vbi conuiuium erat institutum, præsentibus Theologiæ professoribus colloquium habuit cum Melanchthone, qui de scandalo inter cætera querebatur, quod metuendum ex hac principum cõtrouersia videretur. Rumor, inquit Melanchthon, de hoc motu iam procul dubio Romanam delatus est; imò & in Angliam ad aulam Regis. Pontifex hac de re Cæsari gratulabitur: Parisijs in aulâ Regis Franciæ varij ferentur de hoc bello sermones, quod Saxonica domus intestinis principum cognatorum armis concussa, ruinam minetur. Lutherus ad hæc:

ANNO 1541.

A mauritio auersus.

In colloq. mens. lat. To. 2. p. 192.

Trepidatio inter Lutheranos.

In coll. mēf. germ. f. 388.

In coll. lat. To. 2. p. 192.

Congressus priuatus Lutheri cum Melanchth. de diffidio principum & scandalo exinde orituro.

ANNO
1542.

hæc: Verum hoc est, inquit, diabolus rē omnem sine dubio Romam nunciauit pridem
 » Interim papistæ ridebunt in sinu. Melanchthon, Certum est, inquit: Ecce, dicent hi sunt
 » euāgelici nostri; huiusmodi fructus ex ipsorū
 » doctrina proueniūt. Lutherus: Ita sine dubio
 » loquētur Romæ: Cōficient se mutuis armis,
 » & ipsi doctrinā suam extirpabunt. Hæc audienda nobis sunt: Auertat malum hoc benignus Dominus. Vos orate: Deus omen auertet. Ego precibus meis occidi Georgiū Saxonix Ducem: Eodē modo duos Mauritij ductores, huius fabulæ choragos interficiemus.
 » Faxit Deus, vt hui⁹ mali auctores, Iudæ proditoris & Achitophelis laqueum mercedis loco consequantur. Melanchthon: Mauritius iuuenis est: vix annum ætatis vigesimum primum compleuit: postquam nos doctrinā nostram magnis laboribus & curis asseruimus contra Papam, eoq; rem adduximus, vt nemo contra nos in aciem prodire ausit, prodit in medium iuuenis iste, & huiusmodi tragædiam inter nos orditur, vt quo simus loco, propemodum ignoremus: Erit nunc perpetuum odium inter principes istos, nec alter alteri fidet vnquam: semper in animis aculeus quidam remanebit. Lutherus: Ita prorsus est: licet paciscantur, odio tamen alter alterum prosequetur, diuulsi sunt animis nimis à se mutuo atque distracti. Melanchthon: Non fiet hoc sine magna Ecclesiæ dissipatione. Lutherus: Erit concussio quædam

ANNO

1542.

dam & vastatio Ecclesiæ; quam Deus tamen
 conseruabit. Mauritius princeps iuuenis
 est: non intelligit negotium: Consiliarios
 sequitur, tanquam rebus suis bene consu-
 lentes; cuius eum aliquando pœnitebit. Me-
 lanchthon: Est instar fistulæ Mauritius; so-
 nat uti per consiliarios inflatur. Interim dif-
 ficulter sedabitur motus hic sine sangui-
 ne. Ad me quod attinet, iacta est alea: fiat
 de me, quod placet Domino; siue concisus
 occumbam, siue confossus: Deo rem com-
 mendo. Hæc Melanchthon; & serio quidem,
 voce nonnihil concitata. Lutherus: Eia, mi
 Philippe, res eò non deueniet; Orate tatum.
 Melanchthon: Id nemo mihi persuadebit.
 Nec multum refert, si ego trucidatus occu-
 bam. Tum verò Lutherus excandescens, Ta-
 ce, inquit, Philippe; tu habes malam vocem.
 Melanchthon: Multi perierunt alij me lon-
 gè præstantiores, Iudas Machabæus, Iosias
 &c. Quanquam verò parum absuit, quin
 ferro negotium inter principes transigere-
 tur; tamen interuentu Landgrauij Philip-
 pi, cuius filiam anno superiore Mauritius
 in matrimonium duxerat, dissidium hoc
 tandem sopitum est, & ab armis vtrinque
 discessum. Interim verum fuit Melanch-
 thonis præfagium: Arma principes, non
 odium deposuerunt. Mansit enim apud
 vtrunquè negotium hoc alta mente reposi-
 tum, nec radix amarulentia potuit ex illo-
 rum animis per hanc compositionem euelli:

Dissidium
 per Land-
 grauium
 componi-
 tur.

Quem-

ANNO
1542.Quemadmodum sequentium annorum hi-
storia testatur.

CAPVT XVI.

- I. Defectio à fide Catholica. Herman. Archiep. Colon. Bucerum & Melanchthonem Bonnam euocantis.
- II. Melanchthonis priuata afflictio ob Sabini mores & ingenium cum furijs Luther. in ICros.
- III. Melanchthonis excogitata mollities ad Sacramentarios propendentis.
- IV. Merseburgensis Episcopatus Georgio Anhaltino Lutherano collatus, ex prescripto Melanchth.
- V. Comitum Spira & Ratisbona Melanchthone domi per Elect. detento. mutatio relig. in Palatinatu. captiuitas Ducis Brunsvic. colloquium per Lutheran. Ratisbona abruptum.

I. **E**ODEM ferè tempore, quo Naumburgensis Episcopatus in prædam celsit Lutheranis, Hermannus Coloniensis Archiepiscopus quorûdam impulsu, qui nouis opinionibus erât imbuti, de religione per diocesisin publicè mutanda cogitare cœpit. Erat Archiepiscopus iste de familia Comitum VVedensium, vir bonus, & benignus admodum; sed paulò simplicior, & doctrinæ præsidij minus instructus, quam pro conditione temporum isti fastigio conueniret: vnde factum est, vt cum sectarijs aurem præberet,

Archiepisc.
Colon. de
mutanda
religione
cogitat.
Meshou lib.
de Schism.
Herman. de
VVeda.

Eius pro-
lapia & sim-
plicitas.

beret, Bucero cum primis, homini versutif-
 simo, facile deciperetur. Cùm verò muta-
 tionis initium facere decreuisset, anno 1542.
 ineunte Bucero Argentorato, Melanch-
 thonem V Vittenberga per litteras euocauit.
 Et Bucerus quidem mense Februario cupide
 statim aduolauit, prædæ totis faucibus in-
 hians: Alter vero non perinde promptus e-
 rat ad suscipiendum hoc iter; idque non v-
 nam ob causam, vt in litteris quibusdam ad
 Camerarium scriptis insinuat: Multæ sunt,
 inquit, graues causæ, propter quas hoc præ-
 fertim tempore in eas regiones minus libet
 proficisci. Sed mihi crede, non inter postre-
 mas est, quod non libet audire fabulas περι
 πολυπραγμοσύνης τῶν ἡμεδαπῶν, καὶ ὁμοια
 δρυλούμενα; quæ nec refutare ingenuè pos-
 sum, nec tamen confiteri decet. Hæc Me-
 lanchthon.

Interim vt omninò susciperet profectio-
 nem istam, magnoperè suasisit, imò & vrsit
 Landgratius Hassiæ Philippus; cuius ar-
 dens erat hac in re studium, vt Diocæsis
 Colonienfis ab Ecclesiæ Romanæ matris
 obedientia complexuque diuelleretur. Me-
 lanchthon verò causam hanc reiecit ad
 principis Electoris arbitrium; à quo cum
 nihil responderetur, ipse tum quidem lu-
 bens V Vittenbergæ remansit. Post vbi Bu-
 cero permissum, vt in cathedra Bonnæ fa-
 ceret euertendæ religionis initium, Archie-
 piscopus & alios quosdam istius factionis in-

ANNO
 1542.
 A Bucero
 dementa-
 tus.

Bucerus
 Bonnam
 aduolat.

In epist. ad
 Cam. p. 385
 Sur. ad hæc
 an. Cam. in
 Vit. Mel.
 p. 203.

Ibid. p. 384
 Melancht.
 in proficif-
 cendo cū-
 stabūsus.

Bonnā de-
 nudò euo-
 catur.

ANNO
1542.
*Cam. in vi.
Melancht.*

Pistorius
cum eo
Bonnam
aduenit.

*In epist. ad
Cam. f. 429*

Eius cū fo-
ciis mole-
stia.

*In ep. sel.
pag. 553.*

Reforma-
tionem cō-
sarcinant.

subsidium adiungendos illi censuit. Vocauit itaq; denuò Melanchthonem, & ab Electore per litteras obtinuit, vt eum ad se proficisci pateretur. Id factum an. 1543. quo Melanchthon Aprili mensē VVittenberga profectus à Petro quodam Medmanno Zelotâ Luthero Bonnam vsq; deductus fuit. Ex Habsiâ quoq; Ioannes Pistorius accurrit: Alij aliunde aduolarunt, apostatæ monachi, legirupæ, perduelles Ecclesiæ, ceu vultures opimâ prædam odorati. Melanchthon vbi Bonnam apulit, per benignè quidem fuit exceptus; At vbi negotium, quod agendum erat, multis ijsq; grauissimis difficultatibus impeditū vidit, pertæsus rerum, aulicq; confortij, mentis egritudine in Epistola quadam ad amicum liberius effudit. O me flagitiosè stultū, inquit, qui reclamāte ac dehortante tota philosophia nostra, & toties ictus, tamen aulas sequor. Interim mansit cum reliquis ad tempus, & negotijs vsque ad Augustum interfuit; quæ longè alios habuerunt successus, quam Melanchthon, Bucerus, cæteriq; illius factionis ab initio fuerant opinati.

Laboratum principio fuit, vt communibus operis perficeretur magnum illud volumen, quod Bucerus pridē ad Noribergensem formam sub Reformationis titulo consarcinare coeperat. Id Iulio mensē tandem absolutum fuit, & per Archiepiscopum Canonicis Metropolitanis transmissum. Erant in librum istum congesti Lutheranorum errores omnes,

nes, quos delecti quidam à Capitulo paulò post solidè cōfutarunt, opposito scripto quodam insigni, cui titulum Antididagmatis indiderunt. Iam & ante Bucerus libellum sparserat in vulgus valdè pestilentem & seditiosum, quem Clerus & Vniuersitas Colonien- sis ad censuram reuocarūt edito tractatu, cui titulum fecerunt: Iudicium Cleri & Vniuersitatis de libello Buceri: In quo detectis hominis istius fraudibus, imposturis & turpitudine, Catholicam sententiam in ijs dogmatibus, quæ Bucerus tetigerat, insigniter asseruerunt. Ad hoc scriptū Melanchthon respondit, edito libello velut apologetico, quo defendere Bucерum, & obiectum apostasiæ atque incestus crimen diluere conatur. Fuerat enim Bucerus Dominicanæ familiæ monachus, nec ipse solum ex ordine profugerat, sed & virginem Deo dicatam sibi coniunxerat è monasterio profugam, & Lutheri vestigia secutus, apostasiam incestu cumularat. Eam turpitudinem Melanchthon obtentu matrimonij velare nititur. Atque ita scriptis aduersarijs ceoptum est publicè dimicari.

Melanchthon verò cum negotium hoc ceu vado illifum hæere cerneret, in feruore certaminis subduxit se, & Augusto mense VVittenbergam reuersus est: Vbi magnus fuit applausus studiosorum, qui cum professoribus nonnullis obuiam progressi congratulatione publica redeuntem exceperunt comitatiq̃e sunt, non secus, ac si de

ANNO

1542.

A Metropo-
litanis re-
futatur.

Buceri li-
ber pestilēs
censuræ
subiicitur.
Melancht.
pro eo a-
pologia.

Bucerus a-
postata mo-
nachus.

II.

Cam. in vi.
Mel p. 205.
Melancht.
VVitten-
bergam re-
ditus.

ANNO
1542.

*Ibid. f. 222.
223.*

Domesti-
cis affligi-
tur mole-
stis.

Georgii
ingeniū &
indoles.

*Camer. in
vit. Mel.
p. 209.*

Ei filiam
elocet Me-
lanchthō.

Ad hono-
res aspirat.

*In epist. ad
Cam. p. 445*

Humanio-
res litteras
fastidit.

subacta tam insigni prouincia triumphan-
tem deducerent. A reditu varijs curis & mi-
serijs excruciatu fuit ; inter quas illū & do-
mesticæ quædam afflictiones duriter exer-
cuerunt. Georgius quidam Brandeburgen-
sis, qui postea Sabini cognomentum assump-
sit, à prima ætate VVittenbergæ fuit edu-
catus in studijs, idq; secretò certas ob causas,
& quidem in domo Melanchthonis. Erat
Georgius excellentis ingenij, & magnū ha-
bebat affectum in studia ; quæ feliciter non
minus quam ardentè tractabat. Imprimis
verò poësi delectabatur ; in quo studiorum
genere postmodum excelluit, inter primos
istius seculi poëtas celebratus.

Huic admodum iuueni filiam suam natū
maiores desponderat Melanchthō; quā il-
le ann. 1536. in vxorem duxit. Interim vt in-
genio præstabat atq; eruditione non vulgari,
ita & paulo sublimiores gerebat spiritus, seq;
dignū putabat, qui iure meritò ad honores,
& fortunā lautiorē proueheret. Quā in
re socerum, si vellet, pro autoritate sua mul-
tum posse iudicabat : A quo se deserī, nec in-
stam existimationis suæ rationem haberi su-
spicabatur. Fastidiebat Sabinus litterarium
vitæ genus, velut humile & abiectum, &
mente ad altiora ferebatur ; scilicet vt in
luce hominum versaretur, in Republica vel
in aula, & honoribus auctus atque diuitijs
omnium oculos in se conuerteret: Quod in-
stitutum Melanchthoni vehementer displic-
cebat;

cebat; vt qui scholasticus erat, & studia bo-
 narum artium imprimis amabat. Itaque fer-
 re Sabinum non potuit, deque eius inobedi-
 entia & cōtumacia subinde querebatur. Quin
 & ex coniunctione syderum, sub qua natus
 erat, nescio quid ominabatur, auersionem
 scilicet à philosophia, honorum cupidita-
 tem, contractionem patrimonij: Cumque
 mores ipsius, & ingenium, & actiones eodē
 spectare viderentur, Melanchthō valdē sol-
 licitus fuit, nec alia de genero, nisi sinistra
 quæque, in animum admittere potuit. Ex
 hoc morum, iudicij, & voluntatum discre-
 pantia simultates exortæ sunt, & mutuæ su-
 spiciones; quæ cum altius paulatim infedis-
 sent, vt fit, auersionem quandam animorum
 & dissidia pepererunt. Non deerant, qui lin-
 guæ flabello & sermonibus parum commo-
 dis vtriusque animum accenderent: Vnde
 non multum abfuit subinde, quin simulas
 in iurgia & apertas contumelias erum-
 peret. Atque hæc afflictio Melanchthonem
 ad eum modum exercuit, vt nonnunquam
 iaceret totus, nec vllas consolationes admit-
 teret.

Cæterum grauius hoc malum incruduit
 ann. 1544. cum Sabinus ad Scholam Regio-
 montanam per Albertum Borusisæ ducē ac-
 cerferetur; quam ille conditionem cupidè tã-
 quam votis suis conuenientem amplexus est.
 Melanchthon, quanquam Sabini consilium
 improbavit, dissuadere tamen pertinacius

ANNO

1542.

Colloq. mēf.
 lat. Tom. I.

pag. 104.

Eius cōtu-
 macia Me-
 lancht. in-
 uisa.

Sinistra de
 eo suspi-
 cio.

Augetur a-
 liorum pra-
 uis sermo-
 nibus.

A Brande-
 burgico
 ad Scholā
 Regiomō-
 tanam e-
 uocatur.

ANNO

1542.

*In epist. ad**Cam. p. 467*Eius dif-
cessus Me-
lancht. do-
lorē affert.Causæ of-
fensionis
inter gene-
rum & so-
cerum.Luth. in
Iurecon-
sultos fu-
riæ.

vel impedire noluit, quo minus in Borussia proficisceretur. Tulit verò dolenter imprimis & acerbè, tanta locorum intercapedine disiungi filiam à se, quam efflictim diligebat, præsertim cum eam in regione longinqua pro mariti morib. & ingenio durius habendam suspicaretur: Quæ cogitatio sollicitum habuit Melanchthonē, eumq; vehementer afflixit. Nec se potuit continere, quin hæc animi ægritudinem ad amicos nonnunquam effunderet. Accedebāt in discessu Sabini novæ quædam offensiones de rebus non magni momenti, quibus iniuriæ veteres cumulabantur. Ita Sabinus Melanchthonem focerum, atque hic vicissim illum mirificè velut in orbem exagitavit; eoq; deuenit res, ut esset inter eos, quod dicitur, mala mens, malus animus. Nec causâ suberat tamen, cur tantopere succenseret viro litterato Melanchthon, quem sibi volens in generum delegerat; nisi quod eum vana syderum observatio, curiositas, & quædam fortè morum dissimilitudo, tum variæ suspiciones in hanc perplexitatem coniecerunt: In qua pueriliter se nonnunquam habuit, & affectu superatus scëminarum instar, sibiipsi molestiam creavit.

Sub initium huius anni Lutherus in Iureconsultos quiddam machinatus est, quod Melanchthon ut & alia quædam vehementer improbavit. Ante quinquennium Iureconsultos in concionibus ad populum provocaci-

caciter exagitarat , quod Ius Pontificium è ANNO
 fauilla incendij Lutherani rediuuium ad 1542.

Scholas reduxerant ; quemadmodum in vita
 Lutheri diximus. In eos & hoc anno in-

eunte denuo vehementer exarsit eandem
 ob causam. Voluit omnino sacros canones,
 quos ipse ante vigintiquatuor annos lata sen-

Causa
 odii.

tentia velut pro tribunali sedens condem-
 narat, & publicè flammis iniectos exusserat,
 è scholis omnibus in perpetuum elimina-

In coll. mēf.
 ger. f. 417. b

tos. Qua in re quia non simpliciter obtem-
 perabant lureconfulti , denuò cœpit eos
 mordaciter infectari. Et quidem in festo

trium Regum irâ furoreque totus æstuans,
 impotenter in eos stomachatus est ad popu-
 lum , id genus conuitia plenis faucibus ebla-

In Cōcio-
 nibus eos
 perstringit.

terans , cuiusmodi quædam ex concioni-
 bus anno 1539. habitis in ipsius Lutheri
 vita recensuimus. Hæc intemperies & ef-

frenis maledicendi libido moderatioribus
 valdè displicuit : Inter quos & Melanch-
 thonem fuisse quædam ipsius litteræ testan-

Intempe-
 ries Luth.
 displicet
 Melancht.

tur ad Camerarium scriptæ 9. Februarij,
 paulò post , quam Lutherus in Iureconful-
 tos stomachum iracundia bullientem exo-

In epist. ad
 Cam. p. 447

neravit : Quod existimas , inquit , mihi do-
 lorem adferre has asperas conciones κατὰ
 νομοφιλάκορ , non falleris. Quid hæc ad

populum ? Quam hoc tempore non oportet
 cum magni motus impendere videan-
 tur. Non intelligere nostras ærumnas ex-

istimamur , καὶ ἐμπαροινῆμ τοῖς κινδύνης.

o 4 Quid

ANNO
1542.

Quid, quod in hoc negotio ne causæ quidem
fatis esse, & iracundiæ seruii putatur; vt læ-
” pè alias κατά τινῶν ἑτέρων. Et paulo infra:
” πολλὰκις δὲ ἔλεξα, φοβῆσθαι μέγιστον φύσιν
” δυσχερῆ ἄγαν ἐμπαδοῦς, ὡς περ Ἡρακλέους, ἢ φι-
” λοκλήτου, ἢ μαρίαν ρωμαϊκῆς στρατηγῆς. Hæc
” græcè de Luthero Melanchthon, & subob-
scurè quidem de industria: Quanquam satis
innuit, metuisse se iam pridem, ne Lutheri
cruditas, & ad conuitiandum impotentia
tandem ubi senium accesserit, in sæuitiam
exiret, vt Heracleo similis fieret, vel Philo-
cteto, vel Mario Duci Romano: Quod iam
euenisse nutu nictuque potius quam apertis
verbis indicat.

III.
Cam in
vit. Mel.
pag. 213.
Melanchth.
ob molli-
tiam exa-
gitatur.

Hoc eodem anno per aduersarios Melan-
chthonis, rigidos inquam Lutheranos, no-
ua tempestas in caput ipsius excitata fuit,
vel renouata potius calumnia, quam non
semel annis superioribus intenterant; quod
nimirum mollitie sua, & ad cedendum
promptitudine, communi causæ multum
incommodaret. Quanquam in proximis
colloquijs VVormatiæ atque Ratisbonæ,
posteaquam per Caluini consortium acer-
bior factus obriguit, satis durum se præ-
buit Catholicis, & si quid in eos antea
forfan habuit benignioris affectus, id de-
inceps vel deposuit omnino, vel in Sa-
cramentarios effudit. Iis enim, quin ab
hoc tempore votis intimis, & toto affectu
se coniunxerit, cùm pridem ab anno 1535-
ad eos

ad eos inclinare crederetur, nec Lutherani rigidores nec Calvinistæ dubitant : Et sunt, qui hoc ipsum suadeant, argumenta non obscura. Atque hæc altera causa fuit, cur nunc zelotarum ista factio Melanchthonem rursus exagitet. Cum enim Lutherus hoc anno bellum Sacramentarium denuò totis viribus instauraret, quod anno 1536. VVittenbergæ fucatâ compositione sopitū diximus, prodidit se Melanchthon, & consilium illud sibi displicere non obscuris indicijs manifestum fecit. Siquidem impedire conatus est, quanto studio potuit, ne postrema Lutheri confessio de Cœnâ Domini, quæ velut clasticum fuit ad nouam pugnam, typis excusa diulgaretur. Verùm id frustra fuit: Edidit enim Lutherus scriptum illud, quod in hac causâ velut testamentum esse voluit, aut publicam extremæ voluntatis declarationem, quam & morte suâ postmodum confirmauit. Ita syncretismus ille VVittenbergicus dissolutus fuit, atque omnis deinceps instaurandæ concordie spes in perpetuum sublata. Qua de re Melanchthon, cum frustra Lutherum à bello Sacramentario dehortatus esset, in hunc modum scribit ad Henricum Bullingerum: Fortassis, inquit, priusquam hæc meæ litteræ ad te perferantur, accipies atrocissimum scriptum Lutheri, in quo bellum de Cœnâ Domini instaurat. Nunquam maiore impetu hanc causam egit. Desino igitur sperare Ecclesiarum pacem.

ANNO 1543.

Conatur impedire Lutheri scriptum de Cœnâ Domini.

Dehortatur eum à bello Sacramentarium. Lauath. in hist. Sacr. pag. 23. b.

ANNO Interim Melanchthon ab æmulis probro-
1543. fo sermone diffamatus fuit, quasi totus ad-
Diffama- hæreret Sacramentarijs, & eandem cum illis
tur ob sectã de Eucharistiã sententiam tueretur; licet id
Sacramen- publicè dissimularet. Quã de re cum ad au-
tariorum. lam quoque rumor delatus esset, Elector
Forschenius Princeps Pontanum seniore VVittenber-
in malleo gam misit anno 1544. qui rem hanc certius
Calu. E. 4. b exploraret Quod si Sacramentarijs addictus
Selnecc. in esset Melanchthon, censuit eum Princeps di-
resp. ad Pet- mittendum potius, quam vt hæresis illa se-
zel. pag. 35. cretis ipsius machinationibus in Academiam
 irreperet: Hanc se malle testabatur vel mi-
 nus esse frequentem, vel auditoribus omni-
 nõ vacuam, quam à Sacramentarijs occupa-
 ri. Et Melanchthon quidem intellectã Prin-
 cipis voluntate, alio migrare voluit sponte
 suã, priusquam dimitteretur. At Lutherus
 in consilium adhibitus retinendum putavit
 Melanchthonem, nec permittendum, vt ex
 Academiã discederet: Acturum se cum illo,
 dixit, effecturumque per Dei gratiam, vt in-
 formatus resipiscat. Ita Princeps tum qui-
 dem placatus fuit, & Melanchthon Lutheri
 patrocinio protectus in statione mansit.

A Saxone
eius mens
requiritur.
Melanch-
thon fugã
cogitat.

A Luthero
detinetur.

IV. Decessit hoc anno Sigismundus Linde-
Merseburg, mauius Episcopus Merseburgensis, post cu-
Episc. obit. ius obitum Augustus Saxonix Dux octode-
 cim annorum adolescens dioccesin occupa-
 uit, qui politicã tantum gubernatione sulce-
 ptã, religionis, & rerum Ecclesiasticarum cu-
 ram omnem in Georgium Anhaltinum re-
 iecit.

fecit. Erat Georgius Præpositus Magdebur-
 genſis Merſeburgenſis Eccleſiæ Canonicus,
 Princeps Luthero vehementer addictus; qui
 priuſquã curam Episcopalem à politicâ gu-
 bernatione diſiunctam ſuſciperet, Lutherum
 & Melanchthonem in conſilium adhibuit.
 Hi verò, vt ſubiret functionem iſtam, non
 auctores fuerunt modo, ſed & reſtitantem
 Georgium impulerunt: Qui cum aſſenſiſ-
 ſet, anno ſequenti 1545. ſub initium Augu-
 ſti nouo ritu quodam in Episcopum ordina-
 tus fuit, & conſecratus; non eodem certè,
 quo Lutherus Ambſdorffium Naumburgen-
 ſibus obtruſum Pſeudoepiscopum conſe-
 crauit, ſed non multum diuerſo. Reſ per
 Melanchthonem diſpoſita quidem fuit, ſed
 non peracta. Cùm enim nec ipſe ſacris ini-
 tiatus eſſet, nec vnquam obiuiſſet functio-
 nes Eccleſiaſticas, conſecrationem hanc
 exequi non fuit auſus; ſed alijs conciona-
 toribus modum præſcripſit, quo negotium
 hoc exequerentur; quem breuiter infe-
 rendum duximus. Caput huius diœceſis
 eſt Merſeburgum, ciuitas in ripâ Sa-
 læ fluminis poſita. Ad eam vocati ſunt
 Concionatores omnes vicini, vt no-
 uum hunc Episcopum manibus impoſi-
 tis conſecrarent. Hi tertio Auguſti die
 conuenerunt in Eccleſiâ, & ſolenni cum
 pompâ Georgio præſenti manus impoſue-
 runt: Idque certo ordine, vt alij poſt alios
 accederent, donec à primo ad vltimum

ANNO

1544.

Eius Epi-
 ſcopatû par-
 tiuntur Sa-
 xo, Augu-
 ſtus & An-
 haltinus.

Anno 1544

Anhaltini
 ordinatio.

Modû con-
 ſecrationis
 præſcribit
 Melanch-
 thon.

Merſebur-
 gum ciui-
 tas Episco-
 palis.

Manus
 Anhaltino
 imponunt.

vsque

ANNO
1544.
Instrumen-
tum ordi-
nationis.
Cam. in vit.
Mel. p. 225.

vsque verticem consecrandi manum tetigissent. Quâ de re Melächthon scriptum quoddam confecit, velut Instrumentum ordinationis publicum, quod per concionatores omnes subscriptis nominibus cõfirmatum est, Verba huius documenti, quibus Ordinatio perficitur, hæc ferè sunt.

” Cum ad ministerium Euangelij Reue-
 ” rendissimus & Illustrissimus Princeps, Do-
 ” minus Georgius, Princeps in Anhalt, Comes
 ” Ascaniæ, & Dominus in Bernburg, Præposi-
 ” tus Ecclesiæ Magdeburgensis, ritè & piè vo-
 ” catus fuisset ad functionem muneris Eccle-
 ” siastici adiuuãdam in Episcopatu Mersebur-
 ” genli, accersiti sunt, vetere primarum Eccle-
 ” liarum more, viri docti & graues, qui vicinas
 ” Ecclesias gubernant, quorum nomina infra
 ” ascripta sunt, vt in ipsâ Ecclesia Mersebur-
 ” genli ad hanc vocationem adderetur publi-
 ” cum testimonium ordinationis. Nos igitur
 ” (viri docti & graues) conuocati, quia certò
 ” sciebamus hunc Illustrissimum Principem
 ” Georgium rectè intelligere, & cõstanter am-
 ” plecti puram Euangelij doctrinam, quã Ec-
 ” clesiæ harum regionum vnâ voce & vno spi-
 ” ritu cum Catholicâ Ecclesiâ Dei profiten-
 ” tur, & eximiam eius esse virtutem & sancti-
 ” tatem, testimoniũ nostrum de eo ritu Apo-
 ” stolico impositione manuum declarauimus,
 ” & ei ministerium docendi Euangelij, & ad-
 ” ministrandi Sacramenta commendauimus.
 ” Cumque Paulus Tito præceperit, vt presby-
 ” teros

teros ad docendas & gubernandas Ecclesias ANNO
 passim constitueret, sciat hic ordinatus, voce 1544.
 Apostolicâ sibi præcipi in hac functione, vt
 sacerdotes ad docendas & regendas Ecclesias
 ordinet, & eorum doctrinam & mores in-
 spiciat, &c.

Georgius ad hunc modum ordinatus Lu-
 theranilimum sub nomine reformationis, vt
 solent isti, in diœcesin inuexit: Quam ad rem
 consilio Melanchthonis usus est; à quo no-
 uus hic Episcopus in administratione rei Ec-
 clesiasticæ totus pendebat. Ordinauit inter
 cætera, vt per singulos annos bini pastorum
 conuentus haberentur aut synodi; in quibus
 ipse præsedit vt Episcopus, & latinas oratio-
 nes habuit, compositas, & subministratas à
 Melanchthone, qui Principem istum, ceu pæ-
 dagogus moderabatur: Nec orationes tan-
 tum synodicas, sed & conciones ad populum
 habendas illi suppeditauit.

Anhaltin⁹
 reformati-
 onem in-
 ducit.
Chytr. in
Sax. p. 466.

In ep. ad
Cam p. 276
Sleid. lib. 15.

Fuit anno superiore proximo Conuentus
 Imperij Spiræ, Cæsaris Ferdinandi Bohemię
 Regis, Electorum omnium, & Principum fe-
 rè omnium præsentia frequentissimus. Et
 quidem in Februario factum est actionis ini-
 tium, quæ tandem ad decimum Iunij finem
 habuit. Decretum inter cætera, vt Decem-
 bri mense denuò cõuentus haberetur, in quo
 Cæsar tentandam dogmatum cõciliationem
 inter Catholicos & Protestantes censuit. E-
 lector Saxo domũ reuersus, è Comitij Me-
 lanchthonẽ per litteras admonuit, vt se com-
 para-

V.
 Comitia
 Spiræ.

Decretum
 de religio-
 ne.

ANNO pararet ad iter. Agendum in Comitijis pro-
1544. ximis de religione pacificandâ; quam ad rem
Melanch- operâ ipsius vti decreuerit: Paratus igitur ef-
thon adCo- fet, instructusq; rebus ad illam actionem ne-
mitia vo- cessarijs, vt vocatus itineri se confestim ac-
carus. cingeret. Id factum anno Christi 1544. In-
Prorogan- terea Comitiorum tempus propter Cæsaris
tur Comi- inualetudinem in annum vsque sequentem
tia. prorogatū est. Et principio quidem VVorma-
Idem lib. 16 tiæ dictus dies, vbi propter terrorem in-
 gruentis belli Turcici religionis pacificandæ
 negotium suspensum fuit, & ad Comitiam re-
Ratisbonâ iectum, quæ Ratisbonam Cæsar indixit. Ne
indicuntur verò res non agi seriò videretur, VVorma-
 tiæ collocutores designauit quatuor ex vtra-
Collocu- que parte, duosq; Præsides, quos ad Calend.
tores à Cæ- Decemb. Ratisbonam cōuenire iussit, & inti-
sare defi- tium facere colloquendi, priusquâ actio Co-
gnati. mitiorum inchoaretur; ad quam Cæsar, Prin-
 cipes & Ordines anno sequente 1546. mensē
Melanch- Ianuario præsentes esse iussit. Inter collo-
thon domi- cutores Lutheranos & Melanchthonem aiunt
detinetur. fuisse designatum, quem Elector ipse pridem
 huic negotio destinarat, vt diximus. Verum
 vbi tempus aduenit, vt se daret itineri; mu-
Anno 1545. tatum fuit consilium, & Melanchthon domi-
 manere iussus. Causa fuisse videtur, tū quod
 per Lutheranos non satis constanter & irre-
 nuè rem agere diceretur contra Papistas; tum
 verò quod affectum suum in Sacramentarios
Causæ de- nimium prodiderat. Eâ re grauitè offendit
tentionis. Electorem Principem, qui, Melanchthone
 repu-

repudiato, Georgium Maiorem è VVitten- ANNO
 bergensibus Theologis solùm misit ; eum 1545.
 ipsum, à quo postmodum inter Lutheranos
 Maioristarum hæresis originem duxit & no-
 men. Mansit itaque domi Melanchthon, &
 lubens quidè, vti præ se tulit, cum ab id ge-
 nus actionibus & conciliationibus alienum
 se diceret.

Interim Fridericus Palatinus Elector, qui Palatinus
 Ludouico fratri anno 1544. in Martio vitâ mutat reli-
 functo successerat, Princeps ætate iam pro- gionem.
 uecta, mutandæ religionis consilium cœpit, *Cam. in vit.*
 deq; instituto suo litteras dedit ad Melanch- *Mel. p. 228.*
 thonem, cuius nō absentis modo consilium,
 sed & operam studiumq; præsentis in eo ne-
 gotio desiderabat. Sed nec illud impetrari Melanch-
 potuit ab Electore Saxone, vt Melanchtho- honē euo-
 nē ad Palatinum ire pateretur; nedum vt alio car, sed fru-
 sedem transferret; quod ob multas causas in stra.
 votis habere videbatur. Tulit hoc Melanch-
 thon eam ob causam molestius, quod ope-
 ram suam in mutandis ritibus, quam passim
 alijs præstiterat, Principi suo & patriæ negare
 cogeretur. Quanquam quod præsens in hoc
 genere nō potuit, per litteras exequi conatus
 est. Scripsit enim quandam doctrinæ formã, Melanch-
 ad quam Palatinus suos ordinatione publica thon for-
 reuocaret: Quin & alios misit, quorum opera mulam do-
 & ministerio in rebus ad religionē pertinen- ctrinæ Pa-
 tibus vteretur. Elector Saxo nō fidebat Me- latino trās-
 láchthoni: Quæ causa fuit, vt eū VVittéberge mittit.
 retineret; vbi multos habebat obseruatores, A Saxone
 ocula- detinetur.

ANNO 1545. oculatos admodum & parum benignos, per
 quos poterat in officio contineri. Atque hinc
 querela illa Melanchthonis, quam subinde
 repetijt; quod velut alligatus ad Caucasum
 immensis laboribus conficiatur. Scripsit sanè
 de cōditiōe suâ ante triennium, anno vide-
 licet 1542. in hunc modum: Conficior, mi
 Ioachime, laboribus, & seruiō penè, vt in an-
 tro Cyclopi; dicendum est enim apud te,
 quod sentio; ac sæpè de fugâ cogito. Quere-
 lam istam repetit hoc anno 1545. cum ad Pa-
 latinum ire prohiberetur: Me, inquit, fatalis
 aliqua ἀνάγκη, quam toties reprehendo, tan-
 quam Promethea ad Caucasum alligauit: Et
 tamen hunc soluit Iupiter. Hæc Melanch-
 thon: Quanquam paulò post ad laxandum
 animum à Luthero solutus fuit, qui partim
 sponte suâ, partim amicorum rogatu profe-
 ctus est in patriam, Comites Mansfeldenses
 inuisurus. Adiunxit verò sibi comitem istius
 itineris Melanchthonem: Quanquam alieno
 tempore venit, cum Comites iam essent in
 armis, & ad castra fœderatorum propera-
 rent; qui cōtracto exercitu Henricum Brun-
 suici Ducem, armatâ manu sua repetentem,
 oppresserunt. Factum hoc est Octobri men-
 se, Phippo Landgrauio, & Mauritio Saxone
 bellum nomine fœderatorum administran-
 tibus; qui ducē Henricum, cum is resistendo
 non esset, militibus magnâ partē dilapsis, vnâ
 cum filio ad 21. Octobr. prope Northemium
 in potestatem redegerunt. Landgrauius ca-
 ptum

*In ep. ad
 Cam. p. 382*

Ibid. p. 530.

Protestan-
 tium bellū
 in Brunsvi-
 censem.

Eum ca-
 piunt.

ptum deditioe Principem Zigenhaimum ANNO
 duxit; vbi fuit in vinculis ad bellum vsque 1545.
 Smalcaldicum, quod biennio post exarsit. In Capiuntur
 quo Brunsvicensis è carcere liberatus, pe- & ipsi.
 dem extraxit è compedibus Protestantium, *Sur. in com.*
 quas deinde mirabili rerum vicissitudine *Sleid. Po-*
 Saxo atque Landgravius, hostes ipsius acer- *mar. ad huc*
 rimi, per Cæsarem subacti rursus induerunt. *ann.*

Cùm Georgius Maior & Laurentius Zo- Anno 1546
 chius Ratisbonam proficiscerentur ad collo- Theologo-
 quium, Melanchthon eos officij causâ Li- rum Luthe-
 ipsiã vsq; comitatus est: Ita cõtumeliã sibi fa- ranorũ ad-
 ctam ciuilitèr dissimulauit. Maior verò cum uentus Ra-
 socio ad 21. Ianuar. anni 1546. Ratisbonã ve- tisonam.

nit; vbi 27. eiusdem mēsis die factum est col- Vtriusque
 locutionis initium. Disceptatum aliquandiu partis con-
 de forma colloquij, de Notarijs, alijsque de gressus.

rebus id genus: de quibus cum aliud Luthe- Abrumpi-
 rani, quam Cæsar & ipsius nomine præfides tur disces-
 constitutum vellent, tempus ad quintũ vsq; su Luthe-
 Februarij diem altercando transactum fuit. ranorum.
 Tandem abruptum est colloquium Luthe- *In ep. ad*
 ranorum discessu: quorũ primi Saxones, Ma- *Cam. p. 549.*

ior & Zochius, per Principem auocati; dein- *“*
 de Bucerus, demũ & cæteri discesserunt. Me- *“*
 lanchthon, vbi postmodum legit ea, quæ Ra- *“*
 tisonæ per Lutheranos disputata sunt, quæ- *“*
 dam improbavit. Fidem, inquit, & studium *“*
 nostrorum probo; sed quædam aut aliter ex- *“*
 plicare conatus essem, aut præterissem: quã *“*
 de re cum erimus vnã, loquemur. Hæc ad *“*
 Camerarium quinto nonas Martij. *“*

P

CA-

ANNO
1546.

CAPVT XVII.

- I. Mors Lutheri, eiusq; coniunctio cum Mel. cū
fæda discipulorum distractione.
- II. Casar Protestantes proscribit & vi in ordi-
nem redigit.
- III. Calumniæ Flacianorum in Melancht. Comi-
tia Augustæ, & consultatio inter Cath. &
Protest.
- IV. Casaris cum Mauritio colloquium de Con-
cordia.

I.
Lutherus
moritur.
Melancht.
consterna-
tio.
*Selnec. in
hist. Conf.
pag. 60. b.*

Eius fune-
bres pro
Luth. con-
ciones.
*Extant to.
12. VVit p. 46.
465. & 468*
Qualem
cōiunctio-
nem Me-
lanchthon
cū Luthero
habuit.

INTEREA Lutherus 18. Febr. mortuus est
Inlebij, quo per Comites Mansfeldicos e-
uocatus erat ad dirimendas cōtrouersias, quæ
de finibus inter eos agitabantur. Melanch-
thon acceptis de obitu Lutheri litteris vehe-
menter consternatus fuit. Proditum est à Lu-
theranis, eū in auditorio publico fufis vber-
tim lacrymis in hæc verba prorupisse: Occi-
dit, occidit; cecidit auriga & currus Israelis;
Reuerendus pater Lutherus. Deus nostri mi-
sereatur. Ad quã vocem magnus horror to-
tum auditorium occupauit. Funus VVitten-
bergam deductum; atq; id insigni cum pom-
pâ quidem, cuius similem ætas ista non vidit.
In sepulturâ Pomeranus germanicam con-
cionem habuit, Melanchthon latinam; quæ
vtraque typis cōtinuò diuulgata fuit. Tam-
etsi verò Melanchthon ad Sacramentarios
iam defecerat, Lutherum tamen magnis en-
comijs ornauit; tanquam virum diuinitus
missum, vt hanc, quam in mundo videmus,
religio-

religionis & rituum mutationem induceret. ANNŌ
 Ita liquidem multis annis vnà vixerunt, vt 1546.

licet dissentirent in multis, alter tamen alterius errores & vitia dissimularet; ne si glificens animorum dissidium in publicam distractionem erumperet, ea res causæ, quam agebant, detrimentum afferret. Itaque genij, morum, sententiarum & iudicij discrepantiam, quæ fuit inter eos non exigua, quodam externæ coniunctionis operimento velabant. Quanquam res ad eum modum, celari non potuit, quin Luthero mortuo, discipuli ipsius à Melanchthone, velut secessionem factam publicè diuellerentur: Quos & ipse vicissim ceu turbatores Ecclesiæ satis duriter & acerbè fuit infectatus: Quà de re fortè suo loco plura dicemus. Nec à Melanchthone solum dissidebant isti, sed & inter se deinceps variè sunt tumultuati. Certè Lutherus, dum vixit, vel autoritate suâ, vel austeritate multos compescuit, qui post obitum ipsius Lutheranam gentem, velut truncû sine capite, in varias factiones miserandum in modum distraxerunt; tantumq; lolij creuit & Zizaniorum ex sparsò Lutheri semine, vt miserabilis esset & detestanda Ecclesiæ Lutheranæ facies; quâ ex istis quidam in hunc modum describit.

Luthera-
 nismus fœ-
 de distra-
 ctus:

Selnec. ibid.

Obitum, inquit, huius prophetæ nostri, & postremæ ætatis Eliæ, quanta mala subsequuta sint, nouimus & experti sumus: bella interna; & bella externa adhuc durantia, motus, simultates, calumniæ, diffidentia, odia

ANNO
1546.

irrecónciliabilia, discordiæ, corruptelæ, portéta opinionum, imprimis de personâ Christi, & de Cœnâ Dominicâ blasphemarum, motarūq; à Sacramentarijs Calvinianis: item mutationes, translationes, confusiones, Epicureismus, perfidia, cōtemptus Christi, verbi, & fidelium ministrorum: plurimorū etiā apostasia, inconstantia, leuitas, Truncus sine capite, infidelitas, serpens nutritus in sinu, ingratitude. Et quis scelera omnia referat in doctrinâ saltem, & in ordine docentium? ne dicamus de vita, & alijs statibus, politico & œconomico; vbi verè omnia sunt hominum tenui pendentia filo, & velut umbraculum in vinea, & tugurium in cucumerario; & Deus factus est actus. Hæc ille: Sed missis ijs, ad Melanchthonem reuertamur: Quem non diu post germanici belli tempestas VVittenberga cum reliquis Professoribus exulem fecit.

Cæsar cogitat armis visitare Protestantes.

II.

Cæsar enim, cū Protestantes animaduertet indies fieri ceruicosiores, inobedientiâ eorum, & quas Catholicis intulerant multiplices iniurias, iustis armis vindicare decreuit. Quam rem hoc anno 1546. & initio sequentis executus est, eosque contracto exercitu armis perdomuit, & dissoluto fœdere, quo se Principes & Ciuitates in ipsis Imperij visceribus arctissimè cōiunxerant, Ioannem Fridericum Electorem, & Philippum Habsburgiensem Landgrauium fœderatorū duces in potestatem redegit: Quæ res quomodo gesta sit, historia-

Ab eo pro-
scribuntur.

istoriarū monumēta testantur. Fuerunt initio ANNO
proscripti, quos diximus Elector & Lādgra- 1546.

uius Edicto publico: Quod cum promulgatū
esset, Mauritius Saxoniae Dux mandatu Cæ-
saris Electoris prouincias inuasit, & VVittē-
bergam imprimis, quæ præcipua ciuitas est
Electoꝝ Saxonici, conatus est occupare.

Hoc nego-
tiū Mauri-
tio deman-
datum.

Erat id temporis Elector in castris Protestā-
tium ad Danubium: Et quia longius aberat à
ditionibus suis, tueri subditos aduersus Mau-
ritium non potuit: cumq; de periculo VVit-
tenbergensium admonitus esset, mandauit
Academicis, vt cederent necessitati, & suspē-
sis lectionibus ad tempus migrarent alio, do-
nec hæc tempestas defæuisset. Ita Vniuer-

Saxo Wit-
tenbergen-
ses de peri-
culo admo-
net.

sitas omninò dissipata fuit & Professo-
res fuga dilapsi sub initium Nouembris alio
concesserunt. In ea trepidatione Melanch-
thon collectum gregem scholasticum lōgius
abducere cogitabat: Sed cū egressi essent op-
pido, seq; viderent ad locum destinatum sine
præsenti rerum & vitæ periculo non peruen-
turos, societas illa conuerso itinere dissoluta
fuit; & quilibet cōmodo suo in tutum secef-
sit. In hac fuga Melanchthon Serbestum ve-
nit, quæ ciuitas est Principum Anhaltinorū;
vbi cōmoratus est, donec Cæsar ex istis par-
tibus cum exercitu victore discessit.

In ep. ad
Cam. p. 587.

Melanch-
thon cona-
tur schola-
res abdu-
cere.

Melanch-
thon Serbe-
stum fugit.

Cam. in vit.

Mel. p. 257.
Brandebur-
gici cura in
sopiendo
bello.

Sub initium verò belli, cum Cæsar ad In-
golltadium in castris Protestātium impetum
sustinuisset, non defuerunt viri Principes,
quorum præcipuus erat Elector Brandebur-
gicus



ANNO
1545.

Negotium
componen-
dæ pacis
Melanch-
thoni de-
mandatur.

Melanch-
thonis re-
sponsum.

Suadet Cæ-
sari obtem-
perandum.

Concilium
reijcit.

gicus Ioachimus, qui compositione dirimi bellum cuperent, & Saxonem atq; Landgrauium honestis cōditionibus in Cæsaris gratiā restitui. Quamquam verò hi principio, cū exercitum adhuc coniunctum haberent, insignem sanè atq; instructissimum, animis odio atq; iracundiā flagrantibus, actionem de pace simpliciter respuebant; postea tamen, cū fractus esset primus impetus, & res Protestantium inclinare viderentur, ad mitiora cōsilia ventum fuit. Et quidem ad Melanchthonē missa fuerunt scripta quædam, in quibus pacis cōditiones ruditer erant delineatę, petitumque vt sententiā suam de ijs exponeret. Respondit ille, ante omnia videri laborandū, vt Cæsaris animus quoquo pacto mitigetur; à quo spes sit, Principum quorundam interuentu, ac deprecatione pacem obtineri posse, si debitā cum reuerentiā negotium agatur. Futurum interim sine dubio, vt fœderis Smalcaldici dissolutionem vrgeat Cæsar: quam nonnulli forsan impedituri sint ad extremum vsque: Quā in re difficultas futura videatur. Erat in conditionibus & hoc scriptum inter cætera, vt religionis controuersię reijcerentur ad Cōcilium; nec quisquam deinceps aduersarię partis dogmata condemnaret, ante legitimam causę cognitionem. Id verò caput Melanchthon improbavit, neutros asserens debere, vel omninò posse ad huiusmodi conditionem obligari. Iam & illud in conditionibus habebatur; Causas politicas à negotio reli-

religionis disiungi oportere: Quod Melach-
 thon sapienter & rectè positum esse censuit;
 nec omninò decere, vt ista inter se permis-
 ceantur. Protestantes enim multa per Ger-
 maniam violenter egerant, & præter iusti-
 tiæ formam, Imperijque decreta. Eiecerant
 è ducatu paterno Henricum Brunsvici Du-
 cem Catholicum, eiusque ditiones occupa-
 rant armatâ manu: Imò Ducem ipsum, sua
 iustis armis repetentem oppresserant, atque
 etiam nū in carcere detinebant: Occuparant
 per vim Episcopatus, Naumburgensem im-
 primis, Iulio profligato, qui legitimè fuerat
 ante sexennium electus: Ecclesiastica bona
 passim inuasèrant, & pias maiorum fundatio-
 nes euerterant: turbarant summum Imperij
 iudicium, quod Cameram appellant: alia-
 que admiserant id genus quæ præter iustitiæ
 normam per vim acta, vel primâ luce ratio-
 nis appareret.

ANNO
1546.

Protestan-
tiū iniqua
facinora.

In Brun-
svicensem.

In Pflugii.

In Came-
ram.

Cæsar igitur tanquam summus in Impe-
 rio iustitiæ vindex, ab ijs interpellatus, qui
 vim patiebantur & iniuriam, cū omnia prius
 expertus esset, ex officio tandem ad vindi-
 candam oppressorum iniuriam arma cœpit.
 Eas igitur actiones & controuersias politi-
 cas, quæ ad iustitiam pertinebant, Melanch-
 thon à negotio religionis iusto interuallo se-
 parandas iudicauit; quibus compositis nihil
 dubitandum censuit, quin Cæsar's animus ad
 clementiam flecteretur. Hæc & id genus alia,
 tum quidem inter eos disputata sunt, qui

Cæsar iusti-
tiæ vindex.

Vide Ludo-
uic. Auilla
de bello
Smalcald.

ANNO 1547. Protestantium pertinacia.

compositione negotium transigi, quã armis maluissent: Sed ea Protestantium erat acerbitas & pertinacia, id odium in Pontificem, in Cæsare, vt sana consilia non admitterent. Itaque per Cæsarem armata manu coercendi fuerunt, & amolendum scœdus illud Smalcaldicum, quod ex paruis iniitijs ortum, multorum accessione paulatim ad eam amplitudinem excreuerat, vt potētia Protestantium omnibus formidabilis esse videretur.

Potentia formidabilis.

Anno 1547

Saxo captur.

Chyt. in Sax p. 481.

Wittēberga Cæsari deditur.

Mauritius fit Elector.

Cam in vit.

Mel. p. 266.

Filij Saxo- nis captiui

Academiã

Ienam tra-

ducunt.

Cæsar, vbi Saxonem prælio superatum in potestatem redegit, quod anno 1547. 24. Aprilis factum est, victoriam profecutus, quinta Maij VVittenbergam obsedit, castris in pago Bisteritio positis, qui Vniuersitatis est. Paulo post, 23. Maij ciuitas dedita fuit; in quam Cæsar biduo post ingressus arcem vidit, & munitiones, & tormēta. Deinde quinta Iunij Septemviralem dignitatem cum adiuncta ditione, Ioanni Friderico & posteris ablatam Mauritio contulit, Electoris sobri- no, qui Cæsari cōtra Protestantes in hoc bello militabat. Huic biduo post Senatus & ci- ues VVittenbergenses fidelitatis iuramen- tum præstiterunt. At Ioannes Fridericus, cum existis ditionibus captiuus abduceretur, filio dedit in mandatis, vt quia VVit- tenberga iam in Mauritij potestatem vene- rat, ipse reliquias colligeret dissipati cœtus Academici, easque Ienam traduceret, quæ Thuringiæ ciuitas est ad Salam fluuium si- ta; in qua per hanc occasionem prima Aca-

Academiæ fundamēta delineata potius, quā ANNO
 posita fuerunt. Et Ienam quidem nonnulli 1547.
 conuolarunt, per filios captiui principis in-
 uitati; præsertim ex rigidioribus Lutheri
 discipulis ij, qui Flacium Illyricum ducem
 sequebantur; à quibus VVittenbergenses
 postmodum procaciter & acerbè sunt exagi-
 tati.

At Melanchthon, cùm omnia secum ex-
 pendisset, VVittenbergam redire maluit ad
 stationem pristinam, quàm vt alibi viueret
 in eorum consortio, à quibus se multis peti-
 tum calumnijs, & petulāter sæpè diuexatum
 meminerat. Vocatus igitur vnà cum Pome-
 rano, alijsque concionatoribus venit ad con-
 uentum Ordinū, quem nouus Elector Mau-
 ritius, Cæsare cum exercitu digresso, Lipsiæ
 celebrauit ad decimumquintum Iulij, in quo
 de religione, deque republica constituenda
 deliberatum fuit. Suscepit imprimis religio-
 nis instaurandæ curam Mauritius, & Me-
 lanchthonem, cæterosque per quam huma-
 niter & clementer habuit, nimirum vt ostē-
 deret reipsa, quod contra Smalcaldicos Lu-
 theranos arma tulerit in bello proximo, id
 non factum religionis oppugnandæ gratia;
 sed vt iuramenti memor Cæsari morem ge-
 reret, inobedientiam quorūdam principum
 ex officio vindicanti. Neq; verò religionem
 tantum, sed Academijs etiam VVittenber-
 gensē & Lipsicā instaurandas omninò cen-
 suit, quas armorum strepitus & horror, ceu
 turbo

Melancht.
 Wittēber-
 gam redit.

Chyt. in
 Sax. p. 483.
 Sleid. li. 10.
 Lipsiam
 vocatur ad
 conuentū.

Mauritii
 in eum hu-
 manitas.

Mauritius
 Vniuersi-
 tates re-
 staurat.

ANNO
1547.*Cam. in vi.*
Mel p. 269.
Lectiones
re. am. ur.

turbo quidam, miserandum in modum dissipat: Cuius rei cura Melanchthoni cumprimis demandata fuit. Hic igitur ubi VVittēbergam redijt, cæteri quoq; professores, qui magnam partē ad vicinas Marchiæ ciuitates, velut in portum secesserāt, ex latibulis paulatim reuerterunt. Tandem rebus utcunq; constitutis, Octobr. die 24. noui principis auspicijs lectiones resumptæ fuerūt. Et Melanchthon quidem epistol. D. Pauli ad Colossenses initio; paulo post Prouerbia Salomonis enarranda suscepit.

III.

Calumnia
Flaciano-
rum recru-
descit.*Sleid. li. 19.*Comitia
Ordinum
Augustæ.Luth. ter-
giuersatio.

Cæterum vix in Vniuersitate docendi factam fuit initium, cum vetus illa, de qua nō semel iam ante diximus, in Melanchthonem calumnia per aduersarios suscitata recruduit; quæ belli tempore, cum omnes essent in communi periculo, non nihil cōquieuerat. Et primum quidem rumusculi de eo subobscuri, post aperti clamores per æmulos sparsi sunt, quibus inconstantia passim & proditæ veritatis accusabatur. Id per hanc occasionem factum accepimus. Cæsar, confecto bello Saxonico, mensē Septembri, principes & Ordines Augustam vocauit ad Conuentum, in quo postulatum inter cætera fuit, vt in causa religionis principes se Concilij decretis obtemperaturos promitterent. Et Catholici quidem hac in re morem gesserunt Cæsari non grauatim: At Fredericus Palatinus, & Mauritius Saxo Electores, non nihil tergiuersati sunt: Cum quibus

bus Cæsar per internuncios humaniter e- ANNO,
git & benignè, eosque commodis sermoni- 1547.
bus permouit tandem, vt assentirentur:
Quâ de re mentem suam ad 24. Octobr.
principes isti declararunt, eodem die nimi-
rum, quo Melanchthon cæteri que profes-
sores in Academiâ VVittenbergenfi, col-
lecto auditorum cœtu lectiones sunt au-
spicati; quemadmodum paulò antè dixi-
mus.

Factum hoc Lutherani per Saxoniam mali-
gnè admodum interpretabatur, nec secus ac-
cipiebant, quam si Mauritius euangelij do-
ctrinam abiecerit, & iugum denuò subierit
Romani Pontificis, à quo gloriari solent,
se pridem Luthero vindice liberatos. Huic
igitur principi, quia se Melanchthon alijque
nonnulli, desertis Ioannis Friderici capti-
ui filijs adiungebant, defectionis ab euan-
gelio & proditæ religionis ab æmulis Ienen-
sibus, alijque factionis istius accusabantur:
Idque mulsitando primum secretisque ser-
monibus, dum recens erat bellicarum cala-
mitatum memoria: sed paulò post obscuri
rumusculi in apertos clamores eruperunt:
Egerat negotium hoc Cæsar cum Mauritio
priuatim quidem, & secreto; sed impediri
non potuit, quin rumor hac de re dimanaret
in vulgus; quem auide confestim exceperunt
isti, qui nouum hunc Electorem odio pro-
sequebatur. Et quia dicere nihil audebant in
ipsum

Mauritius
arguitur
de papif-
mo ample-
xo.

Flacianorū
in Melā ch.
amarulen-
tia.

ANNO
1547.

Melancht.
duriter in-
crepatur.

Origo no-
minis A-
diaphori-
starum.

Flaciani,
rigidi Lu-
therani di-
cti.

ipsum principem, in professores academicos, aliosque concionatores, qui, relictis Electoris captiui filijs, tergum obuerterant occidēti soli, & orientem venerabantur, odium atque amarulentiam liberius effundebant. Imprimis verò Melanchthonem durius flagellabant præ cæteris; quod cum ipse ceu quidā Elisæus in Eliæ germanici locum surrogatus, hominum opinione familiam duceret, parum vel nihil haberet Lutherani spiritus; imò totus à Lutheri vestigijs in diuersum ire videretur. Ita factum est, vt liuor & odiū, quod in eum conceperant prorsus implacabile, grauius incrudesceret: Quam ad rem non parum attulit momenti iudicium ipsius Melanchthonis de rebus adiaphoris, vel ritibus externis in diuino cultu; de quibus post bellum germanicum inter Lutheranos variè, magnaque cum acerbitate disputatum fuit, sententijs ad eum modum discrepantibus, vt hinc noua distractio nasceretur. Melanchthon enim alijque nonnulli, qui non recusandum asserebant, quin pacis & concordiae studio Catholicæ ceremoniae quaedam in diuino cultu restituerentur, quas ipsi more suo non necessarias quidem, sed nec impias iudicabant; hi, inquam, à Flacianis, quæ rigidorum Lutheranorum factio est, Adiaphoristarum nominabantur; quos isti recipiendis huiusmodi ritibus negare Christum, & causam euangelicam prodere clamitabant. Atq; hæc disputationes ex Comitibus Augustanis, de quibus

quibus paulò suprà diximus, eorumque de- ANNO
creto de religione, originem habuerunt: Qua 1547.
de re, vt hoc loco quædam inseramus, insti-
tuti nostri ratio postulare videtur. Melanch-
thonis historiam scribimus, quæ plena non
erit, nisi fontem aperiamus earum actionum
atque disputationum, quæ porrò deinceps
eum ad mortem vsque duriter exercuerunt.

Cùm Tridentina synodus editis quibus-
dam Canonibus, armorum strepitu turbata
esset, vel Bononiam potius à Pontifice trans- Cæsaris stu-
lata, & res nonnihil extrahenda videretur, dium in
Cæsar in Augustano Comitio de medijs co- instituēda
gitandum censuit, quibus interea temporis, conformi-
tum Concilium maturè discuteret contro- tate reli-
uersas omnes, vtriusque partis animi non- gionis.
nihil coniungerentur, vt scilicet in doctrina
religionis, externoque cultu quædam esset
conformitas, nec alij longiūs ab alijs dissili-
rent: Qua de re dum sollicitè cogitat, prin- Sleid. li. 20.
cipes nonnulli magni nominis, scriptum illi Ei scriptū à
quoddam offerunt, accommodatum huic in- principib⁹
stituto; quod ille Theologis quibusdam cō- offertur.
cordiæ & pacis amātibus examinandum de-
dit. Hi fuerunt, Iulius Pflugius Naumbur-
gensis Episcopus, cui Cæsar nuper admodū
Episcopalem cathedram, Ambsdorffio de- Theologis
turbato restituerat, tum Michaël Sidonius vtriusque
Suffraganeus Moguntinus, & Ioannes Agri- partis da-
cola Islebius Electoris Brandenburgici con- tur exami-
cionator, is ipse, qui hæresin Antinomicam nandum.
(scædum illud monstrum) haustam è Lutheri
scrip-

ANNO
1547.

Eorum in-
dustria.

Item iudi-
cium de li-
bro obla-
to.

scriptis ante decennium produxerat. Neque
verò segniter aut perfunctoriè negotium si-
bi commissum executi sunt ; sed accuratè
summaque fide. Non enim scriptum hoc
modo perlegerunt attentè ; & ponderarunt
singula ; sed & acta perlustrarunt omnium
colloquiorum , quæ iussu Cæsaris ad conci-
lianda dogmata superioribus annis Augusta
primum , post V Vormatiæ , demum & Ra-
tisbonæ habita fuerunt. Quin & librum il-
lum adhibuerunt , quem Cæsar ann. 1541.
Ratisbonæ collocutoribus discutiendum
proposuerat , vt suprâ diximus. His inter
se collatis , cùm omnia diligenter expen-
dissent , responderunt tandem , Libro hoc
modo sanè intelligatur , nihil contineri
Catholicæ fidei contrarium , præter duo
quædam ; quod in eo scilicet & communio
probetur vtriusque speciei , & sacerdotum
coniugium.

IV. Cæsar intellecta Theologorum sententia,
Ann. 1548. Protestantium animos , Mauritij cum pri-
Cæsar cona- mis, pertentandos censuit , & huic instituto
tur priua- conciliandos , priusquam librum hunc Or-
tim Mau- dinibus in confesso proponeret ; ne si pub-
ritium ad licè reclamarent , vt superioribus annis non
cõcordiam femel factum meminerat , noua quædam
inducere. inter Ordines distractio nasceretur. Itaque
duobus Electoribus, Moguntino & Bran-
deburgico in mandatis dedit , vt hac de re
cum Mauritio priuatim agerent , eumque
permouerent quibus possent rationibus , vt
atten-

assensu suo librum auctoritate publica promulgandum, vnà cum cæteris Ordinibus approbaret. Id factum mense Martio, anno 1548. in his Comitijs Augustanis, quæ ex anno superiore in hoc vsque tempus, & porro diutius extracta fuerunt. Et principes quidem, quos diximus, mandatum à Cæsare negotium summa cum industria sunt executi.

Mauritius verò statim sub initium huius actionis suorū instinctu protestatus est, causam hanc non ad se solum, sed ad subditos vnà pertinere, quibus fidem dederit, nullam se religionis mutationem inducturum: Quæ promissionem & Cæsar ipse sub initium belli, datis ad eos Ratisbonâ litteris confirmavit. Itaque si probet librum hunc, Ordinibus ditionum suarum & Theologis incòsultis, non fidem modo, sed & conscientiam suâ in periculo futuram. Respondent principes, Cæsarem, qui fidem summa religione seruare soleat, nihil facturum cõtrà, quam promiserit. Deliberationem de statu rerum publico, non ad subditos principum in Imperio, sed ad Ordines in Comitijs cõgregatos pertinere: Itaq; negotium hoc auctoritate Cæsaris atque Ordinum in conuentu publico non priuatis subditorum consultationibus tràsfigendum. Imò vt sic fiat, cautū esse in Comitijs superioribus, decretūq; inter cetera, controuersias in Germania motas de religione vel definiendas per generale aut nationale

ANNO
1548.
Sleid. li. 21.

Mauritius
protestatur
de nullitate
consensus
sui.

Replica
Ordinum.

Repētunt
decretum
superiorū
Comitiorum.

Con-

ANNO
1547.

Mauritius
in sua pro-
testatione
perseuerat.

Liber' con-
cordiæ le-
ctus.

Repetit,
adhibendū
consensum
Ordinum
suorum.

Concilium, vel in Comitijs publicis amica compositione sopiendas. Nec aliud nunc agere Cæsarem, quam vt mutua principum consensione, commodaquædam ratio constituatur peragendi cultus diuini; dogmatumq; tradendorum, donec per Concilium omnia definiantur. In hunc finem conscriptam esse ordinationem hanc, prælegendam ipsi mandatu Cæsaris: Quam cum Brandenburgicus Elector probet, Augustanæ Confessioni addictus, causam non esse, cur Mauritius tergiverfetur. Ille, non recusare se, inquit, quin recitari librum audiat; quanquam honore saluo nequeat simpliciter assentiri, nisi de suorum Ordinum consensu; quibus de non mutanda religione fidem dederit. Lectus est deinde liber in priuato trium principum consessu, & varij sermones inter legendum vltro citroque habiti. Huic rei triduum impensum fuit. Cœptum est legi Sabbato ante Dominicam quintam in quadragesima, qui decimusseptimus Martij dies erat, & biduo sequente post Dominicam, decimonono scilicet & vigesimo Martij continuata lectio fuit & absoluta. Mauritius verò, cum audiuisset omnia, repetijt protestationem initio factam, seque negauit assentiri posse, vel probare ordinationem istam, nisi re cum Ordinibus suis & Theologis communicata.

Cæsar verò, cum in primo statim congressu, Mauritius ceu diuerticulum quærens, ad subditos suos & concionatores prouocaret, excan-

excanduit non nihil; quãquam princeps erat omnium longè mitissimus. Videbat enim pro sua prudentia hoc agi per Consiliarios Saxonis, quos istius Consilij autores esse noverat, vt deliberatio de sopiendis controversijs, à Comitijs ad conciliabula, vel arbitrium concionatorum Lutheranae factionis auocaretur. Nec ignorabat, præcipuum inter eos, quorum censuræ liber hic per Mauritium subijciendus erat, futurum Melanchthonem; Quem in actione VVormatiensi & Ratisbonensi durior, & præ cæteris turbulentum inuenerat, vt suo loco diximus; Imò à quo non ita pridem honorem suum in scripto quodã publico grauiter læsum intellexerat; per quem recordabatur & Duces Smalcaldici fœderis incitados, vt in se correptis armis insurgèrent. Neque verò Cæsar, quam in Melanchthonem his de causis conceperat indignationem ad Ferdinãdum fratrem, aliosque religioni Catholicæ addictos principes dissimulauit.

ANNO
1548.
Cæsar protestatione-
offensus.

Eius causa
Melancht.

Ferdinandus igitur, ne Mauritius Elector alijq; Lutherani principes grauius offenderentur, si Cæsar illatam sibi contumeliam seuerius in Melanchthone vindicaret, atq; ita negotium, quod sub manibus erat constituendæ religionis impediretur, duos accerlit è Mauritij consiliarijs, iisque exponit, in quo periculo versetur Melanchthõ: quod Cæsar nimirum grauiter illi succenseat; & metuedum, ne velut hostem illum tradi sibi per

Act. Syn.
pag. 82.
Ferdinandus Mauritium de periculo Melanchth. admonet.

ANNO

1548.

*Ibid. f. 86.*Melancht.
secedit
monitu
Mauritij.

Mauritium postulet: Itaque consultum videri, vt Elector eum ad tempus secedere iubeat ex hominum conspectu, donec Cæsaris iracundia mitigetur. Mauritius vbi hæc intellexit, Melanchthonem confestim per litteras de Cæsaris indignatione facit certior, difficilè sibi futurum asserens vt eum contra tam potentem principem tueatur. Mandat igitur, vt cõsulat saluti suæ, & è luce hominum secedat aliquamdiu, donec tempestas illa tranfierit, & paulò mitior à Cæsare spiret aura.

CAPVT XVIII.

- I. *Actio Cæsaris cum Mauritio de Melanchth. grauitèr conquerentis.*
- II. *Responsio Mauritij pro Melanchth.*
- III. *Censura Protest. de libro Augustano. Cath. examen super doct. Melanch. cum aliquot consultat. de negotio relig.*
- IV. *Replica Cæsaris ad tergiuersionem Mauritij. Melanchth. scriptum à Flacianis exagitatam. Cæsaris litera de Melanchth. ex Saxonia deturbando cum responso Mauritij ad Cæs.*

I. **P**ER id tēpus Mauritius Theologos quosdam suos Zviccauiam euocarat, vt quia de religione colloquium putabat instituentum, essent in procinctu, acceptoque mandato Principis protinus euolarent. Hi fuerunt è VVittenbergenfibus Melanchthon, Cru-

Zvicca-
uia conuē-
tus Theo-
logorum.

Cruciger, Maior; è Lipsiēsis verò Pfeffingerus: Cumque Melanchthon cum socijs Al-
 tenburgum in itinere peruenisset, nuncium accepit de indignatione Cæsaris, eoq; territus, relictis socijs, alio deflexit, ad locum scilicet designatum mandatu principis, in quo periculi vitandi causa delitesceret. Reliqui Zviccauiam progressi ad 12. Aprilis vsque mandata sui principis expectarunt. Ipse verò Melanchthon in locum secretum abditus, ad mensem & amplius eo delituit; donec Cæsare per Ferdinandum placato è latebris denuo prorepsit.

ANNO
1548.

*Camer. in
Mel. p. 261.*

Interim Cæsar, cum Mauritium intelligeret à duobus Electoribus permoueri non potuisse, vt librum à se propositum approbaret, ipse principem ad vigesimum quartum Martij vocauit, & per Seldum Iureconsultum agere cum eo cepit in hunc ferè modum: Quod Mauritius in deliberatione principum de statu religionis constituendo seiunctus, à reliquis Ordinibus in diuersum abeat, id sibi mirum, ait, adeoq; præter expectationem accidere. Recordari Cæsare, quid in hoc genere promiserit, nec ipsum scilicet, nec subditos per vim cogendos, vt religionem deserant, quam hactenus per annos aliquot sint professi; sed controuersias ordinaria via legitimè dirimendas. Verum huic promisso nequaquam aduersari actionem hanc, institutam eum in modum, vt Comitiorum decreta postulent, quæ dissida, vel per generale Concilium, vel

Actio Cæsaris cum Mauritio.

Occurrit obiectio.

ANNO
1548.

Hortatur
ad vniōnē.

Mauritius
repetit
protesta-
tionem.

Petit redi-
tum ad
permouē-
dos Ordi-
nes suos.

Cæsaris re-
plica.

per Synodū nationis germanicæ, vel in Co-
mitijs mutuâ principum consensione tollen-
da statuant. Cū igitur hæc actio iuxta de-
creta Comitiorum ad coniungendos nexu
quodam dissidētium animos suscepta sit, nec
pugnet cū facta promissione, & reliqui prin-
cipes assentiantur, æquum esse, vt & ipse con-
iungat se cum cæteris, ijsq; lubens in hoc tam
pio negotio astipuletur: Quod vt faciat, præ-
ter æquitatē ipsam, & insignia Cæsaris in ip-
sum beneficia postulare. Mauritius ad hæc,
Se iam ante, cū liber legeretur, causas ex-
posuisse, cur assentiri nequeat, nisi Theolo-
gos suos & Ordines in consilium prius ad-
hibuerit. Fidem à se datam subditis, quod
ad mutandam religionem cogendi non sint,
donec controuersia per generale Cōcilium
definiantur; cuius autoritati se quidem iam
ante submiserit; vt Cæsar non ignoret. Cū
igitur Ordinibus & subditis ad eum modum
deuinctus sit, admodum rogare, vt potesta-
tem sibi faciat Cæsar redeundi domum, de
hoc negotio cum subditis deliberādi. Se qui-
dem paratum in omnibus obtēperare Cæsa-
ri, quæ citra diuini numinis offensam & con-
scientiæ læhonē præstare possit: Quem eun-
dem affectum & subditos habere certo sciat.
Cæsar contra, propēsam ipsius & subdito-
rum voluntatē satis sibi perspectam esse; vt
quam re ipsa declararint; nec se fuisse hæte-
nus, aut futurum porrò deinceps obsequij
præstiti, vel promissorum suorū immemorē.

Ijs

Ijs verò non aduersari hãc vnionis formam, omnium Ordinum cõsensione, tam Electorum, quam Principum institutæ; quàm cum cæteri probent omnes, causam non esse, cur solus ipse tergiuersetur. Præbeat igitur assensum, & lubens ad reliquos se principes adiungat, ne nouæ cuiusdã distractionis autor esse videatur. Cæterùm quod ad subditos spectet vel Ordines ditionum, cū quibus existimet deliberandum, Esse hoc moris in Imperio, vt quod Principes & Ordines in Comitijs cõmunibus suffragijs decreuerint, id subditis in dubium vocare non liceat. Iam & parum illi futurum honorificum, si hunc in modum ad subditos regrediatur. Neque verò sibi & reliquis Ordinibus vlllo modo tolerandũ, vt huiusmodi cõsuetudo inoleseat; nimirum vt deliberationes huiusmodi de statu rerũ cõmuni ab Ordinum cõuentu, vel à Comitijs publicis ad priuatos subditorum conuentus auocetur: Quod autẽ Theologos suos in cõ-

ANNO
1548.

Ad confes-
sumhorta-
tur.

Prætensam
eius obie-
ctionem
reijcit.

Conqueri-
tur de illa-
ta sibi à
Melanch-
thone in-
iuria.

Mandat eũ
fisti sibi ad
dicendum
causam.

ANNO

1548

*Mel. in ep.
ad Camer.
pag. 592.***Culpam
pertinaciae
in consilia-
rios reiiçit.****Mauritius,
fistulae cõ-
paratus.****II.
Eius re-
sponso.****Cõsiliarios
excusat.**

denuò, vt se coniungat cum cæteris Ordini-
bus, nec à quoquam aliud sibi persuaderi pa-
tatur : Se quidem habere principem ipsum
excusatum, quod restitavit hæctenus; cum id
non ipsius spontè, sed consiliariorum instin-
ctu, culpaq; factum non ignoret, à quibus in
hanc viam dirigatur. Quæ res non iniuria si-
bi vehementer displiceat. Quod si consiliarij
non desistant à suggerendis huiusmodi con-
silijs, ineundam sibi rationem, deque medijs
cogitandum, vt in ordinem redigantur. Erat
Mauritius viginti quinque annorum iuuenis;
Et quanquam ingenio prudentiaque valebat
plurimum; à consiliarijs tamen ferè in solidum
pendebat. Vnde Melanchthon ante quadri-
ennium inter suos de Mauritio loquens, eum
fistulae comparabat sonum reddentis ad il-
lius arbitrium à quo inflatur : Quod Cæsar,
princeps longè prudentissimus etiam in hac
actione deprehendisse videtur.

Respondet verò Mauritius ad ea, quæ per
Seldum erant proposita: Quod omnium Ordini-
um consensu decretum fuerit, id à se muta-
ri non posse: Repetit deinde, quæ de promif-
sione subditis facta prius dixerat: Aliam, in-
quit, in hoc casu, suam esse conditionem, quæ
cæterorum principum, qui subditis huius-
modi promissionis vinculo non sint obstri-
cti. Non se per consiliarios aut Theologos
seduci, sed habere rationem honoris sui:
Subditis seruandam esse fidem, quam dede-
rit. Cæterum Ordinationem à Cæsare propositam,
& pro-

& probatam à cæteris Ordinibus sibi quidē,
 & quos tecum habeat consiliarijs non omni-
 nò displicere. Interim præter quasdam lo-
 quendi formulas quatuor in ea capita inue-
 niri, de quibus cū Theologis ditionum sua-
 rum omninò sit consultandum. Excusat de-
 inde concionatores, & Melanchthonem im-
 primis, quem prolixè commendat, seq; dolē-
 ter ferre, ait, quod ad hunc modū sit delatus.
 Virum esse doctum, pium, pacis & tranquil-
 litatis amantem; qui bonos quosdam ritus in
 Saxonia conseruarit, & multas sectas atque
 dissensiones pullulantes oppresserit.

Atq; hanc fuisse causam, cur eum sibi pu-
 tarit adiungendum: Quam ad rem non pa-
 rum, ait, attulisse momenti, quod acceperit
 ab hominibus fide dignis, ipsum Cæsare hoc
 egisse, vt Melanchthonem ad se traduceret,
 eumq; de controuersijs differentē audiret.
 Non igitur existimasse, offensum iri Cæsare,
 si virum hunc patrocínio suo fouēdum atq;
 defendendum susciperet: Quod cum factum
 sit anno superiore proximo, non futurum
 ex honore suo, si nunc eum contra datam fi-
 dem præsidio suo destituat. Iam verò & an-
 tea se per Ferdinandum Regem de concep-
 ta Cæsaris indignatione monitū fuisse: Itaq;
 cōtinuò mandasse suis, vt ea de re Melanch-
 thonem quam possent maturrimè facerent
 certiozem; qui iam proculdubio se periculi
 vitandi causa subduxerit è ditionibus suis, a-
 lioque commigrarit. Itaque rogare demissè

ANNO
 1548.

Quæ auor
 capitali cō-
 trouersa in
 ordinatio-
 ne.

Melancht.
 cōmendat.

Cur eū sub
 patrocínio
 foueat.

Mauritius
 paulisper
 secedit.

ANNO
1548.

Ferdinādi
ad Mauri-
ritium ser-
mo.

Ad obedi-
entiam
monet.

Mauritius
acquiescit,

Petit sibi
librum cō-
municari.

III.
Tradit
Theolo-
gis exami-
nandum.

admodum, vt mandatum de tradendo Melanchthone non vrgeat, seq; habeat, quod ad hoc quidem negotium attinet, excusatum.

His propositis è cœnaculo Mauritius secedit: Cumq; aliquādiu foris præstolatus esset, prodit Ferdinandus Bohemiæ Rex, & Mauritium cōpellans, Cæsarem ait, per se mitigatum, de iracundiâ in Melanchthonem nōnihil remisisse: Consultum videri, ne quā illius porro faciat mētionem, eumq; nihilominus in ditionibus suis retineat. Ad causam ipsam verò quod spectet, recusare ipsum, vel subter

fugere nō posse, quin morem gerat Cæsari, & ratum habeat, quod communibus Ordinum suffragijs sit constituēdum. Post varios vltro

citroque sermones habitos acquieuit tandem Mauritius, seq; promisit in Ordinū confēssu, cū liber promulgādus esset nō reclamaturum. Hæc acta sunt 24. Mart. tribus ferè septimanis ante, quam liber hic publicatus fuit.

Mauriti^o verò cū assensum præbuisset, librū, de quo sæpè diximus, communicari sibi petijt, priusquam publicaretur: Quod cum obtinuisset, confestim eum describi iussit, & ad Theologos suos examinandum misit, quos è duabus Academijs V Vittēbergenfi, & Lipsienfi Zvviccauiam euocatos suprâ diximus.

Latitabat id tēporis adhuc Melanchthon. Reliqui verò, Cruciger, Maior, & Pfeffingerus, qui Zvviccauiæ morabatur, librum Augustanum honoris causâ Melanchthoni primum offerendum censuerunt; qui, cū non mul-

multum temporis daretur, breuem scripsit ANNO
 censuram, eamq; collegis Zviccauiam è la- 1548.

tibulo transmisit. Adiunxit litteras ad Cru-
 cigerum scriptas ipso die Pascatis; quod fe-
 stum tum quidem in Calendas Apriles inci-
 dit. Paucis diebus post, cum librum Augu-
 stanum diligētius perlustraret, alteram cen-
 suram scripsit ad Mauritium ipsum, quam

13. Aprilis nuncio dedit ad collegas perferen-
 dam; qui hanc cum prioribus notis & litteris
 ipsius Melanchthonis ad Crucigerum, quas
 diximus, Augustam miserunt. Priusquam id
 fieret, Elector Mauritius datis Augustâ lite-
 ris Crucigero, Pseffingero, & Maiori mādāt,

vt Zviccauiâ Cellam profecti, quæ & ipsa
 Misniæ ciuitas est ad Muldam sita, iustam de
 libro Augustano deliberationem instituant:

Quam ad rem vigesimum Aprilis diem illis
 constituit. Eodem & Melanchthon per con-

filiarium quendā è latibulo suo vocatus fuit
 Electoris iussu, qui sentētiam suorum de sin-
 gulis libri capitibus scripto comprehensam
 ad se mitti postulauit. Moniti verò sunt de-
 lecti cum Cellam conuenissent, vt animum
 adferant ad consultationem hanc pacis & pu-
 blicæ tranquillitatis amantem, & moderata

consilia sequantur, ne si æquo duriores sint &
 rigidiores, despectui habere Cæsarem, & no-
 uam distractionem inter Ordines machina-
 ri videantur. Quo futurum sit, vt Electorē
 ipsum, eiusq; ditones & subditos in præsen-
 tissimum discrimen adducant. Illi, re delibe-

9 5 ratâ,

Melanch-
 thonis in
 eundem
 censuræ.

*Vide consil.
 Theo. 10. 2.
 p. 105. & seq.*

Melanch-
 thon pro-
 dit in pu-
 blicum.

Delecti ad
 Concordiâ
 mōentur.

ANNO
1548.
Censura
Theolo-
gorum.

Eorum ter-
giuersatio.

Melanch-
thon se
suosq; ex-
cusat.

Catholico-
rū Ordinū
in sua reli-
gione con-
stantia.

ratâ, scriptum conficiunt, in quo nonnulla reprehendunt, alia generatim transmittunt quidem; sed velut contractis humeris, vt solent ij, qui mallent aliud, si tutum esset: quædam verò recipiunt; cuiusmodi sunt, quæ de ritibus quibusdam externis & ceremonijs in diuino cultu, de festis, de ieiunijs publicis, alijsque de rebus id genus hoc libro continentur. Additum erat initio, cum negotium hoc proponeretur, vt si delecti hanc vnionis formam improbarent, aliam conscriberent ipsorum iudicio cōmodiorem. At neutrum ab illis factum est: Nec probarunt Cæsaris consilium, nec aliud ipsi suggererunt. Quare ne Princeps grauius offenderetur, Melanchthon datis ad consiliarium quendam litteris, rationem reddit, cur nec concordia formam in solidum probarint à Cæsare propositam, nec aliam ipsi confecerint: Illam asserens vera falsis permixta cōtinere. Si quam ipsi verò conscriberent, dubium non esse, quin Cæsar eam & aduersarij repudient. Has litteras Cellæ scriptas 24. Aprilis, vnâ cum iudicio delectorum, consiliarij sub finem eiusdem mensis Augustam miserunt ad Principem: Melanchthon verò cum socijs Crucigeri & Maiore V Vittenbergam, Pfeffingerus Lipsiam reuersi sunt.

Dum hæc aguntur in Misniâ, Augustæ Catholici Principes vtriusque ordinis, qui religionem hæctenus integram cōseruarant, oblato scripto nullam se posse mutationem
in

in ditionibus suis admittere protestantur: ANNO
 Quam ipsorum constantiam postea Cæsar 1548.
 publicè collaudauit, vt paulò infrà dicemus.

In eodem scripto Episcopi iurisdictionē Ec-
 clesiasticam, & bona per vim ablata sibi re-
 stitui postularunt. Id cum Mauritius intelli-
 geret, continuò VVittenbergam misit ex-
 emplum illius scripti, deque eo Melanchthonis
 sententiam exquisiuit. Is igitur vix do-
 mum reuersus è Misniâ, vigesimonono Apri-
 lis breui scripto eum in modum respondet,
 vt instar hominis perplexi tumultuetur, nec
 quicquam definiat tamē. Delabitur interim
 ad potrita illa cōuitia, mendacia, calumnias,
 Episcopos esse lupos, sacerdotes & mona-
 chos idololatrias; non cōfirmandam istorum
 idolomaniam. Dixerant Episcopi inter cæ-
 tera, Confessionem Augustanam, quemad-
 modum anno 1530. Cæsari fuit oblata, nun-
 quam in vsu fuisse. Ille, qui se frequenter eam
 mutasse nouerat, hac obiectione perculsus,
 simulat non intelligere se, quid hoc loco sibi
 velint Episcopi; Et à quæstione diuertens,
 de consensione Saxonicarum Ecclesiarum in
 Daniam vsque pavidè satis gloriatur.

Melanch-
 thonis per-
 plexitas.

Eius falsa
 in Catho-
 licos con-
 uitia.

Disimulat
 falsi crimē.

Eodem tempore Catholici, cum censu-
 ram Melanchthonis & cæterorum legissent, Catholi-
 breue scriptum opponunt, in quo Censores corum cen-
 istos, aiunt, in doctrinâ de iustificatione con- sura in cē-
 tradicendi studio peruertere, quæ rectè di- suras Me-
 cta sint, & sine causâ mouere litem de ver- lancht.
 bis, quæ scientes in alienum sensum detor-
 queant;

Catholi-
 corum cen-
 sura in cē-
 suras Me-
 lancht.

ANNO
1548.

Eam Mau-
riti^o mittit
suis Theo-
logis.

Eorum
mala fides.

Subscrip-
tio.

Cæsaris o-
ratio.

Constanti-
am Catho-
licorum
laudat.

Luthera-
nos ad cõ-
cordiam
monet.

Librũ Au-
gustanũ re-
citari iubet

Act. Syn.

VVit p 113. b

queant, atq; eam ob causam tumultuari ma-
ximè, quod autores libri Cæsarei nouis ipso-
rum phrasibus & loquendi formulis de iu-
stificatione nõ vtantur. Scriptum hoc Mau-
ritius, vbi copiam eius habere potuit, conti-
nuò misit VVittenbergam, Melanchthonis
cæterorumque censurę subijciendum. Hi pa-
gellas aliquot euestigio conscribunt, in qui-
bus hoc agunt tantum, vt Principi demon-
strent, aliam esse libri Cæsarei, quam Luthe-
ranorum de iustificatione sententiam. Sub-
scripserunt ordine nomina sua, Pomeranus,
Cruciger, Maior, Melanchthon.

Atque hæc quidem in causã religionis acta
sunt, priusquam liber iste, quem diximus, in
Senatu Principum lectus fuit & publicatus:
Quod ad decimum quintũ Maij tandẽ factum
est; idque hunc quidem in modum: Cæsar
conuocatis Ordinibus initio de suo in Ger-
maniam affectu, deque summo religionis pa-
cificandæ desiderio protestatus, Catholicos
quidem, qui nihil hæctenus immutarant, ob
constantiam collaudauit, eosq; grauitè mo-
nuit & serio, vt deinceps quoque constanter
agerent, nec se paterentur à sanctã maiorum
fide dimoueri. Cæteros autem Augustanæ
Cõfessionis addictos hortatus est, vt vel Ca-
tholicis se denuò coniungerent, vel saltem
ad huius libri præscriptum instituerent Ec-
clesias suas, donec omnes controuersię per
Concilium legitimè decidantur. Hæc præfa-
tus, librum ipsum integrum in confesso iussit
recita-

recitari: Qui cum absolutus esset, Cæsar qui- ANNO
dem & Ferdinandus Rex in Sellis remanent: 1548.

Ordines verò secedunt ad consultandū, Ele-
ctores seorsim, Principes itidem seorsim, &
legati ciuitatum ab vtrisque seiuncti; vt habet
Imperij consuetudo, cum de rebus à Cæsare
propositis deliberandum est. Consultatū ad
horam integrā ferè: Et Mauritius quidem in
Electōrū Senatu de subditis consulendis ali-
quid mouisse dicitur: sed concordibus reli-
quorū suffragijs victus acquieuit, protestatus
se, quā mente esset in hac causā, postridie vel
alias ad Cæsare non dissimulaturum. Tandē
Ordines à deliberatione rursus cōiuncti, de
responso Cæsari dando in eandem sententiā
coierunt; quam Moguntinus Archiepisco-
pus omnium nomine declarauit in hunc fe-
rè modum: Ordines pro studio & charitate
in patriam Cæsari magnas habere gratias: Et
quoniam hoc ipsius curæ atque fidei iam an-
te cōmiserint, vt de medijs instaurandæ con-
cordiæ per Germaniam cogitaret, æquū esse,
vt gratis animis agnoscant ipsius labores, &
lubētes recipiant ordinationem propositam,
eamque ratam habeant: Quod se facturos
polliceantur: Petere verò, vt eam, quemad-
modum in Senatu prælecta sit, omnibus de-
scribendam communicet. Respondet Cæsar,
per Archiducem Ferdinandi filium, placere
sibi Electorum Principum, cæterorumque
Ordinum declarationem; seque facturum
illis describendi copiam. Ita scriptum hoc

Ordines
ad Consul-
tandum se-
cedunt.

Ordinum
ad libellum
concors
responso.

Petunt eū
describi.

Replica
Cæsaris.

Ordi-

ANNO
1548.

Liber Au-
gustanus
latinè ger-
maniceque
extuditur.

Mauritius
rursum
protestatur

Causæ pro-
testationis.

Ordinum omnium assensu, nullo reclamante, probatum fuit; Quod ne describentium incuriam vel improbitatem vitari mutariue posset, Cæsar ipse, velut decretum publicum, latinè germanicèq; typis excudendum censuit, & per omnes Germaniæ prouincias ditulgandum. Quod & continuò factum est sub hoc titulo: Sacræ Cæsareæ Maiestatis declaratio, quomodo in negotio religionis per Imperium vsque ad definitionem Concilij viuendum sit, &c.

Mauritius verò triduo post libri publicationem, decimo octauo Maij scilicet, suorum instinctu Cæsarem adiit, & præsentè Atrebatensi Episcopo cum Seldo Iureconsulto, per quendam è cõsiliarijs Ludouicum Fachium pauca præfatus de superiore actione, scriptam illi protestationem obtulit; In quâ breuiter ea repetit, quæ Cæsar hæctenus de Concilio, deque constituendâ interim religione secum egerit. Quia verò in confessu proximo intellexerit, ordinationem, quæ publicata sit, non factam, vt vtramque partem, Catholicos & Protestantes ex æquo, sed alteram tantum obligaret; eamq; acceperit à fide dignis, in quibusdam capitibus nonnihil esse mutatam, graue sibi futurum, & ad subditos inexcusabile, si suo suorumque nomine simpliciter assentiatur priusquam scriptum hoc non ipse modo legerit & expenderit, verum & cum subditis de eo consilia sua communicarit: Quâ de re vt mentem suam hac protestatione Cæsari decla-

declararet, omninò necessarium fuisse. Interim operam se daturum pollicetur, eaque fide atque industriâ negotium hoc acturum apud subditos, vt se concordia, pacis & tranquillitatis amantem, tum ad obedientiam Cæsari præstandam paratissimum, re ipsâ testatum faciat.

Cæsar habito cum ijs consilio, qui præsentibus erant, per Seldum respondet; Quod Princeps ad actionem superiorem regrediatur, iamque promulgato decreto secessionem faciat à cæteris Ordinibus, id sibi non iniuriâ valde mirum videri. Verum, vt ut se habeant ista, perlecturum se scriptum, quod obtulerit, ac deinde, quid mentis suæ sit, declaraturum. Post dies aliquot, ad vigesimum quartum Maij Mauritium vocat, & Ferdinando Rege cum Atrebatensi præsentibus, per Seldum respondet in hanc sententiam: Quod Mauritius hætenus non sit dimissus, cum non semel abeundi facultatē petierit, id arduis Imperij negotijs tribuendum, quæ præsentiam ipsius postularint. Nunc verò potestatem illi fieri, vt ad suos reuertatur, relictis tamen consiliarijs, qui, quod reliquum sit negotiorum, vnâ cum cæteris Ordinibus tranfigant. Ad scriptû vero nuper oblatû quod spectet, vehementer mirari Cæsarem, quod ipse solus à cæteris Electoribus, Principibus & ciuitatibus sese disiungere moliat: Hortari denuò ipsum, vt desistat ab huiusmodi incepto, & in hac causâ cæteris Ordinibus adhærescat.

Nec

ANNO

1548.

Repetit suorum ordinum cõsensum.

IV.

Replica Cæsaris.

Miratur inconstantiam Mauritij.

Mauritio reditum ad suos concedit.

Ad vnionẽ eum hortatur.

ANNO
1548.

Mauritius
superiora
repetit.

Explorat
Melanch-
thonis sen-
tentiam de
libro Au-
gustano.

Petit soli-
dum respō-
sum.

Scriptum
Theolo-
gorum pro
informan-
do Princi-
pe.

Nec aliud expectaturum ab ipso Casarem, quā vt missā protestatione subditos permo-ueat, vt & ipsi ordinationem hanc publico decreto firmatam amplectantur. Mauritius nihil adhæc, nisi quæ prius de subditis consulendis eundem ad elabendum obiecerat: Atque ita dimissus è Comitij sub initium Iunij mensis domum redijt.

Priusquam verò conuentus ageret Ordinum suorum in Misniâ, Melanchthonis aliorumque VVittenbergensium sententiam de libro Augustano sibi putauit certius explorandam. Scripserant illi quidem aliquoties Electoris mādatur censuras & notas: sed quædam intacta præterierant; de rebus etiam nonnullis dubiè locuti erant, & trepidanter, vt in hac causâ parum firmis vestigijs insistere viderentur. Mauritius igitur neglectis illis, quæ hæctenus in isto negotio responderant, firmum quid & solidum de omnibus libri capitibus postulabat; quod Ordinibus in Conuentu proponeret. Atque eum in finem librum vti publicatus erat, statim à reditu VVittēbergam misit: Quem cum Melanchthon, cæterique denuò perlegissent, nouum quoddam scriptum conficiunt, secreto tamē, & sub fide silentij, ad informandum Principem; quod cum decimosexto Iunij absolutum esset, vigesimo septimo demum eiusdem mēsis die ad Mauritium transmiserunt. Huius scripti auctor erat Melanchthon: quem admodum & cæterorum, quæ pridem in hoc gene-

genere scripta erant mandatu principis , & ANNO
 Augustam transmissa. Cæterùm nihil ferè 1548.

nouum adferunt in hoc scripto , sed cram-
 ben, quod aiunt, recoctam apponunt. Inte-
 rim non minus timidè agunt , quam pridem
 in alijs censuris , & vitabundi velut suspenso
 gradu incedunt , ne scilicet in hanc illamve
 partem impingant. Doctrinam libri de Iu-
 stificatione, de Missâ, quâ Sacrificium est, de
 oblatione pro vita functis , de priuatâ pec-
 catorum confessione , de inuocatione san-
 ctorum, nequaquam recipiendam definiunt.
 Vbi verò de Ecclesia & episcopis , de Bap-
 tismo, de Confirmatione , de Vnctione, de
 Pœnitentia, de Satisfactione, de Eucharistia,
 de Matrimonio, de Ceremonijs loquuntur,
 vel restitant , nec certum figunt vestigium,
 vel censent non disputandum. Iurisdic-
 Ecclesiastica quin Episcopis restituatur non
 abnuunt; sed addunt conditiones; ne vel op-
 primant veritatem Episcopi , vel ceremo-
 nias rursus instituant cum idolomaniâ con-
 iunctas. Ordinatio sacerdotum vt inter Sa-
 cramenta numeretur , aiunt sibi non displi-
 cere. Interim mordaces passim & virulentos
 sermones infarciūt in Catholicos more suo.
 Sub finem nullum se profitentur nouum do-
 ctrinæ genus suscepturos , diuersum ab eo,
 quòd hæctenus in ijs regionibus traditum
 sit, & à duabus Vniuersitatibus , VVitten-
 bergensi scilicet & Lipsiensi publicis scriptis
 confirmatum. Et quia cum eo doctrinæ ge-
 nere

Capita cõ-
 trouersa.

Camer. in
 vit. Mel.
 p. 266.

Iurisdic-
 tionem
 cõditiona-
 liter ad-
 mittunt.

Sermones
 eorum vi-
 rulentis.

Ad prius
 scriptum
 prouocat.

ANNO
1548.

Censura
per Flaciū
excusa.

Liber Au-
gustanus
a quibusvis
sugillatus.

*Camer. vb.
supr. & seq.*

Cæsaris
indigna-
tio.

Melāchth.
dicacitas.

Cam. p. 275

nerē liber hīc in præcipuis capitibus pugnet, imponi sibi necessitatem aiunt alios admonendi, ne falsis eius dogmatibus assentiantur.

Hæc Censura licet in vsum Electoris Mauritij scripta tantum fuit, idque sub fide silentij, vti diximus; venit tamē & in aliorum manus; & paucis septimanis post, mense Iulio nimirum, Flacij Illyrici studio, qui tū VVittenbergæ Hebraicam linguam profitebatur, sub nomine Melanchthonis Magdeburgi typis excusa fuit, & passim per Germaniam diuulgata. Atq; hoc primum aiunt fuisse scriptum, quo liber Imperij publicè fuit sugillatus: Non diu post, Augusto mense scilicet, & aliud quoddam paulò prolixius ex eadem officinâ prodijt, à Melanchthone confarcinatum, cæterisque ipsius socijs, ad conuentum Misenensem euocatis, vt paulò infrà dicemus. Hæc scripta cum passim volitarent per Germaniam, ad Cæsaris quoque manus peruenerunt.

Erat id temporis Cæsar Spire; cumque videret Tractatus istos, suscitata denuo fuit illius indignatio, quam Ferdinandus Rex, vt diximus, Augustæ commodis sermonibus nonnihil consopiuerat. Eam verò non parum auxit dicacitas Melanchthonis, cuius sermones deferebantur in librum Augustanum vnaque in Cæsarem ipsum acerbiores, qui forsā illi, æstuante stomacho, per incuriam inter familiares exciderunt. His com-

commotus Cæsar, in eam iracundiam exarsit, ut pridie Calend. Septembris, datis ad Mauritium litteris, Melanchthonem velut hostem suum è Saxonix finibus exturbari præciperet: Qua de re Cæsaris ipsius verba subiungo.

Facere non possumus, inquit, quin summo cum animi nostri dolore significemus, per homines fide dignos ad nos delatū, quod Philippus Melanchthon, à quo pro temporum istorum conditione consideratis ijs, quæ iam antè per ipsum admissa fuerunt, non iniuria longè aliud expectandum nobis erat, malignum & virulentum animum pertinaciter retineat, variaque machinetur contra librum Interim, & quæ prætereà nobis intelligit aduersari: Quod nullo pacto nobis tolerandum venit. Itaque serio tibi mandamus hisce litteris, adeoque volumus, ne Philippum, quem diximus, deinceps foueas aut feras in ditionibus tuis, sed ex ijs proscriptum eiicias, tanquam vnum ex præcipuis proximi motus incentoribus, qui contra nos scriptis suis virulentiam & seditio- nem spirantibus rebellium animos non parum accenderunt, atque in suscepta rebellionem confirmarunt. Itaque inter seditiosos eum censemus: Quod illius crimen nondum est apud nos expiatum. Prætereà liber quidam diebus superioribus peruenit ad manus nostras, quem his litteris adiungimus, vnaque significatum est,

ANNO

1548.

Eum mandatur ex finibus Saxonix deturbari.

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

r 2

eum

ANNO
1548.

eum per Vniuersitates tuas VVittenbergen-
sem & Lipsiacam compositum esse, & in lu-
cem emissum. Quod si ita est, quin id sine
scitu consensuque tuo factum sit, nihil du-
bitamus. Et hoc igitur à te serio postulamus,
vt in autores illius, quemadmodum decet,
animaduertas. Hæc Cæsar.

Mauritius
nutabun-
dus.

Mauritius verò territus nō nihil hoc nun-
cio, suorumque leuitatem & petulantiam de-
testatus, qui spargendis huiusmodi scriptis
& contumeliosis sermonibus Cæsarem alio-
qui satis offensum grauius irritarent, hare-
bat, quid esset ad has litteras respōdendum.

Melanch-
thonis te-
meritas.

Nouerat Melāchthonis temeritatem in hoc
genere, & inconsultam dicacitatem, quam
ipse non semel expertus erat. Nam sub ini-
tium belli germanici quædā in ipsum Mau-
ritium liberius dixisse ferebatur, quod arma
caperet contra Protestantes, & Cæsari mili-
taret, vt isti loquuntur, euangelio bellum
inferenti, eiusque mandatu Saxonis agnati
Principis ditiones hostiliter occuparet: qua
de re Camerarius cū per litteras admonuit.
Iam & ante quadriennium, cū inter Ele-
ctorem & Mauritium inopinato bellum ex-
ardesceret, in hunc Melanchthon parum be-
nignos sermones habuit; vt tum quidem, si
penes Mauritium esset victoria, sese in vitæ
periculo futurum existimaret; quemadmo-
dum supra diximus. Meminerat ista Mauri-
tius Elector: Et quāquam satis intelligebat,
Cæsarem causas habere grauiissimas, cur hæc
info-

Eius de
Mauritio
varij ser-
mones.

Mauritius
eius de-
fensor.

insolentiam in principes & effrenatam linguæ calamique petulantiam coerceri postularet : defendendum tamen quoquo pacto Melanchthonem censuit, cauendumque, ne quid durius in ipsum statueretur: Ne, si secus faceret, suas iniurias vindicare videretur, eaque re non subditorum modo, sed & Lutheranorum omnium animos, qui, Flacianis exceptis, ab ipso pendebant, à se penitus auerteret. Et quidem cum omnino Cæsari respondendum esset, mensem integrum transire passus est, ut iracundiæ vehementiores illi motus in animo Cæsaris intereà residerent.

Tandem ultimo Octobris datis ad Cæsarem litteris, Quæ de Melanchthone scripserit, ea se non sine summo animi sui mœrore legisse dicit. Concepta pridem esse pacificationis capita inter Cæsarem & Saxoniam Ducem captiuum, qua ministri principis illius omnes, & subditi sint vnâ comprehensi, quorum non sit expressis nominibus facta mentio. Melanchthonis verò nomen in illa pacificatione scriptum non inueniri. Itaque se quidem eum inter reconciliatos censuisse. Neque verò sibi de viro hoc aliud constare, quam quod in actionibus omnibus, quæ quidem ad Cæsaream ipsius Maiestatem spectent, non modo pacis & concordiam studiosus fuerit, sed & alios cohortatus sit ad moderata consilia, & alioquin multum boni fecerit. Quod si virum hunc è ditionibus suis eijciat, facile videre Cæsarem, quo in odio non apud subditos

ANNO
1548.

Respondet
Cæsari.

Melanch-
thonem
excusat.

ANNO
1548.

Rogat Cæsarem vt clementior sit in Melanchthonem.

Consultationes variae Lutheranoꝝ.

ditos tantum , sed & apud exteros eam ob causam sit futurus. Rogare igitur, quam possit humillimè , vt deponat conceptam indignationem , nec inclementer ferat , si Melanchthonem ipse tãtis per in ditionibus suis remanere patiatur, dum eum honoris diuini concordiaque promouendæ cupidum , & Cæsarei nominis obseruantem deprehendat. De libro vero, quem à VVittenbergensibus & Lipsiensibus diuulgatum Cæsar existimet , scripsisse se antehac ad Ferdinandum Regem, qui proculdubio de rei veritate Cæsarem informarit. Cæsar accepto responso negotium hoc velut suspensum reliquit, donec intelligeret , quid de libro Augustano Mauritius re cum suis communicata, responsurus esset. Ea enim conditione dimissuserat à Cæsare, vt ordinationem istam de statu religionis in Comitijs promulgatam , infirmaret Ordinibus ditionum suarum, eosque quibus posset argumentis , ad assentiendum permoueret. Atque hinc natæ sunt istæ tam frequentes consultationes, quas Theologorum præsentia vehementer impeditas reddidit. De quibus nobis deinceps non nihil dicendum erit propter Melanchthonem , qui non interfuit tantum omnibus istis conuentibus ; sed & consilia Theologorum moderatus est , ad quorum iudicium in hac causa politici semper pro-uocarunt.

CAPVT

- I. *Conuentus Lutheran. Misena.*
- II. *Consultatio de libro Augustano inter Elect. Sax. Mauri. Ord. & Theolog.*
- III. *Alius Pegauia conuentus, & collatio Cathol. & Protest. de relig.*
- IV. *Conuentus Torgæ & Cella habiti ob librum Augustanum.*

IGITUR Mauritius cum scriptam à Melanchthone consultationem accepisset, de qua suprâ diximus, continuò Misenam delectos Ordinum conuenire iussit, de libro Interim, dequè responso Cæsari dando cum illis deliberaturus. Cæterùm non omnes promiscuè, sed præcipuos tantum ex Ordinum Senatu censuit in consilium adhibendos; vt paucorum expeditior esset deliberatio, ne Cæsaris expectationem eludere longiore morâ videretur. Quia verò de doctrina religionis, deq; ritibus ecclesiasticis consultandum erat, Theologos quoque primi nominis ad eundem cõuentum euocare placuit: Nec enim dubitauit, quin ad horum iudicium omnis hæc esset consultatio referenda. Venerunt igitur per litteras acciti Georgius princeps Anhaltinus, Magdeburgensis præpositus, Melanchthon, Cruciger, Maior, VVittenbergenses; tum Pffeffingerus Superiorum antecessor, Ioannes Forsterus, concionator Ecclesiæ Cathedralis

I.
Conuentus
Theologorum
Misena.

*Acta Syno.
Luth. n. 4.
& seq.
Camer. in
Vita Mel. p.
293.*

Theologorum
Lutheranorum
antecessor
Forsterus

ANNO
1548.

Varius de
hoc con-
uentu ru-
mor.

Mauritius
sermonem
inchoat.

Reperita-
cta Con-
uentus Cæ-
sarei.

Merseburgensis, & Daniel Greferus Superintendens Dresdensis: Qui separatim à politicis senatum quendam ecclesiasticum in his actionibus constituerunt. Ceterum, quia varius de hoc conuentu rumor spargebatur per zelotas quosdam Flacianos, quasi papatus, ut loquuntur isti, mandatu Cæsaris restituendus esset; multi istuc conuolarunt explorandi gratia, quid rerum ageretur: quorum tantus erat numerus, ut ijs recipiendis diuerforia vix sufficerent.

Cum delecti conuenissent, Mauritius secundo die Iulij facit actionis initium. Principio reuocat illis in memoriam, quæ pridem in causa religionis cum illis egerit; tum quid promiserit in eo negotio Cæsar, quem hoc curaturum ait, ut iuxta Comitiorum decreta controuersia religionis omnes per generale Concilium legitimè decidantur. Quia verò tardior sit concilij progressus, Cæsarem Ordinibus proposuisse consultationem quandam vel Ordinationem iuxta quam interim constituenda sit in Protestantium ditionibus religio, diuinusque cultus peragendus, dum per Concilium omnia definiantur. Hanc Ordinationem quia cæteri Electores & principes Augustanæ Confessionis propemodum omnes receperint, Cæsare hoc multis egisse secum, & vrgenter quidem, ut eandem & ipse cum suis amplecteretur. Cum verò se diceret propter datam subditis fidem simpliciter assentiri non posse, post diuturnam actionem

nem mandatum sibi fuisse tandem à Cæsare, ANNO
 vt hac de re cum subditis diligenter ageret, 1548.
 vnaque cum ipsis in recipienda hac ordina-
 tione publica, reliquorum Ordinum instar
 obedientiam præstare non recusaret. Hunc
 igitur in finem eos esse conuocatos, qui præ-
 cipui sint & seniores in Ordinum senatu, vt
 diligenter euoluant Ordinationem hanc, &
 quid super ea Cæsari respõdendum sit, com-
 municatis inter se consilijs definiant: Qua in
 re ad eum modum agant, vt se concordia,
 pacis ac publicæ tranquillitatis amantes re-
 ipsa declarent.

Causa cõ-
 uentus in-
 dicti.

Hæc vbi de scripto recitata sunt, liber
 Augustanus vnà propositus fuit; quem dele-
 cti statim communibus suffragijs Synedrio
 Theologorum offerendum censuerunt; vt hi
 scilicet, quid in eo probandum sit, quid im-
 probandum, scripto declararent: Quod &
 factum est continuò; verum ita, vt operas in-
 ter se diuiderent, & cuiilibet designarentur
 certa quædam capita de quibus censurâ scri-
 beret. Melanchthon dogmata sumpsit exa-
 minanda, quæ maioris sunt momenti; puta
 caput de Iustificatione, de bonis operibus, a-
 liaque id genus, in quibus iam decretum ha-
 bebant ab Augustana Confessione non dis-
 cedendum. Alij alias libri partes examina-
 runt: Cumque singuli sua conferrent in me-
 dium, ex varijs lacinijs confarcinatum est
 scriptũ paulo prolixius illo, quod mēse pro-
 ximo per Melanchthonem nomine V Vittē-

II.
 Librum
 Augustanũ
 proponit.

Singulæ e-
 ius partes
 à singulis
 examinan-
 tur.

ANNO
1548.

bergenſium in uſum Mauritiꝝ cōfectum diximus: licet poſterius hoc ab illo priore, quod ad ſententiam quidem attinet, parum aut nihil omnino diſcreparet: niſi quod in hoc altero largior erat vberiorq; verborum affluentia.

Flaciani ex
inſidijs om-
nia ex-
plorant &
publicant.

Cæterum erant Miſenæ Flaciani quidam, hoſtes Melanchthonis acerbiffimi, qui velut ex inſidijs obſeruabant omnia, quæ gerebantur. Horum nonnulli ſcriptum hoc incertum quo artificio conſecuti, Magdeburgum miſerunt, qui tum Flacianorum nidus erat præcipuus; vbi hoc ipſum vix vno meſe poſt, quam conuentus hic ſolutus eſt, auctoribus inſcijs typis fuit expreſſum & ſparſum in vulgus. Quâ in re non admodum bonâ fide per Flacianos actum V Vittenbergenſes Adiaphoriſtæ quiritantur. Deprehenſum enim fuit, eos omiſſiſſe nonnulla; quædam etiam inſeruiſſe aliena; ſcripta quidem ab iſſidem Theologis, ſed in alium finem; quin & nonnulla malitioſè in alienum ſenſum detorſiſſe; nimirum vt Melanchthoni cæterisque, qui huic conſultationi interfuerunt, odium inuidiamq; conciliarent.

Ad. Syn.
p. 152. b.

Atque hic eſt liber ille, niſi me fallit coniectura, quem Cæſar litteris ſuis adiunctum Mauritio tranſmiſit, vti iam ante diximus: qui ſopitam nonnihil ipſius iracundiam in Melanchthonem denuo ſuſcitauit. Et quidem placuit Ordinibus cenſura ſynedriꝝ; ſeque profeſſi ſunt ab eo doctrinæ genere

In priſtina
cēſura col-
locutores
perſeuerāt.

NON

non discessuros. Sed quid Cæsari respon- ANNO
dendum esset, aut quomodo placandus 1548.
ipsius animus, cum librum hunc non inter-
polandum censuris, sed assensu proban-
dum dederit, id verò difficile fuit expedi-
re. Placuit post multam deliberationem, Dubitatur
vt Melanchthon ceterique, qui præsentis de respon-
erant, breuem conscriberent vniuersæ do- fo Cæsari
ctrinæ summam, quæ in regionibus istis dando.
sub Electore Mauritio traderetur; idque
iuxta seriem capitum, quæ libro Augusta-
no per ordinem explicantur. Hoc verò Breuiculū
scriptum non Mauritius Elector, sed Or- doctrinæ
dines & Concionatores istarum ditionum cōscribunt
nominibus prius subscriptis responsionis lo offerendū.
co Cæsari transmitterent: Quem facilè dice-
bant perspecturum, si hanc doctrinæ summā
cum Augustano libro conferat, quid in eo
probandum censeant, quid improbandum.
Fuit hoc Ordinum consilium, quod Con-
cionatores non improbabant illi quidem;
verum ad subscriptionem quod attinet, pro
parte suâ tergiuersabantur. Ordines vero
in sententiâ persistebant, vrgebantque pro-
positum scilicet, vt sine morâ breuis huius-
modi religionis confessio scriberetur. Ita-
que Melanchthoni suo suorumque nomine
denuo scriptitandum fuit: Et cœpit ille qui-
dem magno conatu; sed cum præfationem Alia opi-
opusculi, tum locum de iustificatione, deq; nio Luthe-
bonis operibus vix absoluisset, quidam è Sy- ranorum
nedrio aliud consilium suggererunt, scilicet de libello
supplice,
nec

ANNO
1548.

nec disputandū cum Cæsare, nec Augustano libro summam Lutheranae fidei, quam diximus, opponendam, sed oblato tantum libello supplice, quam humiliter rogandum Cæsarem, ne subditos istarum ditionum ad dogmatum rituumque mutationem compellat. Itaque libellum supplicem conscribunt offerendum Cæsari, quem ad delectos Ordini mittunt, vnā cum breui scripto quodam, in quo nouum hoc consilium proponunt, adiectis rationibus, quibus moti in hanc sententiam descenderint. Ordines verò cum rationes huius instituti maturius expēdissent, hæsitarunt: Quo factum est, vt & hoc cōsilium in spongiam, quod aiunt, incumberet. Itaque tertium quiddam in mentem venit, quod vtriūque demum, Ordines, inquam, & concionatores probarunt: Rogandum scilicet Electorem Principem, vt is ceu medius interueniat, & datis ad Cæsarem litteris hoc ipsum petat Ordinum nomine, quod libello supplice continebatur. Hac de re mentem suam scripto tandem declarant, cui rationes inferunt, quibus existimant ab Electore permoueri posse Cæsarem, ne ad recipiendam, quam Augustæ promulgatam diximus, ordinationem vrgeantur.

Tertia opinio praeualet.

Mauritij responsio.

Mauritius per lecto scripto respondet, nihil ab ijs nunc in medium adferri, quod non pridem in Comitijs Augustanis præsens mouerit; idque frequenter eumque in modum, vt maiore fide atque industria causam hanc agere

agere nemo possit: nec obtinuisse tamē quicquam apud Cæsarem, qui consensum vrgeat cum reliquis Ordinibus, per quos liber ille sit in Comitijs approbatus. Itaque frustra futurum, si speret absentem se per litteras impetrare posse, quod præsens cum esset, summoque studio frequenter niteretur, ne quiuerit tamen obtinere. Deliberandum igitur amplius, dispiciendumque, an non sine detrimento religionis in gratiã Cæsaris paulo plus in rebus quibusdam largiri possint atque concedere, quam concedendum hætenus iudicarint. Adhæc Ordines, Quia pauciores essent numero, nec reliquos, si quid ipsi nunc definiant, in potestate sua futuros, suspendendum hoc negotium censuerunt. Atque ita Conuentus ille post octidui actionem ad decimum Iulij re prorsus infecta solutus fuit; Quod cum ex rumore publico per Germaniam innotuisset, Ferdinandus Rex & Archiepiscopus Moguntinus, alijque nonnulli Protestantium, per litteras Mauritium serio cohortati sunt, vt Cæsari tandem morem gereret. Quin & de periculis eum monuerunt, quæ si pertinacius recuset, metuenda videantur. Vrgebat & Cæsar ipse responsum, datis ad Mauritium litteris; quibus & hoc illi mandabatur, vt iurisdictionem ecclesiasticam vicinis Episcopis restitueret.

In hoc ancipiti rerum statu Mauritius cōuentum omnium Ordinum indicere decreuit;

ANNO
1548.

Petit vt magis concordia studio concedatur.

Replica
Ordinum.

Soluitur
conuentus.

Mauritius
a Cæsare
monetur
ad concordiam.

III.

ANNO
1548

Acta Syn.
p. 191. l. 14.
Conuentū
indicit Pe-
gauiam E-
piscopis &
Theologis
suis.

Legatorū
politicorū
postularū
de articu-
lis.

Responſio
Melanchr.

uit: quod priusquam faceret, tentandum pu-
tauit; an vicinis Episcopis Misnenſi &
Naumburgico ſatisfacere poſſet, & per eorū
dem viam ſibi ſternere ad placandum Caſa-
rem. Locum igitur Conuentui delignat, op-
pidum Miſniæ, quod Pegauiam vocant, ro-
gatq; duos epiſcopos, quos diximus, vt iſtic
veniant ad vigefimum tertium Auguſti; Eſ-
ſe quædam magni momenti negotia, de quib-
us in colloquium per legatos cū illis venire
cupiat. Eodem è Theologis ſuis Georgium
Anhaltinum, Melanchthonem, & Cruciger-
rum; è nobilium ordine quatuor primi no-
minis, & Iureconſultum quendam cum man-
datis ablegauit. Verum quia Cruciger agro-
tabat, Anhaltinus eius loco Forſterum aſ-
ſumpſit: Melanchthon vero Paulum Ebe-
rum VVittenbergâ ſecum adduxit. Hunc
verò conuentum ſine magno ſtrepitu, quam
fieri poſſet ſecreto Elector haberi voluit,
ſannas, & ludibria, clamoresq; publicos Fla-
cianorum metuens, ſi palam cum Episcopis
pontificijs per legatos congregaretur.

Actum fuit ad triduum de libro Auguſti-
no: Anhaltinus initio ſolus cum Episcopo
Naumburgenſi cōtulit, ſed ſine fructu. Poſt
legati politici declarationem poſtularunt ab
adiunctis ſibi Theologis; nimirum quæ ca-
pita ceſſionem aliquam admitterent aut mo-
derationem, quæ verò minimè. Reſponſum
eſt per ſchedam, quam Melanchthon ſcripſit,
quatuor eſſe doctrinæ capita, in quib. diſce-
dere

dere à sententiâ nullo modo possint: De Iu- ANNO
 stificatione & bonis operibus; de pœnitentiâ, 1548.
 eiusq; partib. de Missâ & Canone; de San- Capita ir-
 ctorum inuocatione. Nec temperare sibi po- reuocabi-
 tuit Melanchthon in scripto quâtumuis bre- lia.
 ui, quin petulantia laxaret frenos; dū statim
 in limine consecrationem olei atq; chrisma-
 tis, & deportationē sanctæ Eucharistiæ cras- Melanch-
 sam vocat atq; ethnicam Idololatriam: Qui thonis in
 sacrum Canonem, vel sacrificium nouæ legis sermone
 tueri instituant, eos exercere ludum, inquit, temeritas.
 non absimilem illi, quo Iudæi Christo vela-
 bant oculos, ac deinde quærebant: Quis est,
 qui te percussit? Atque hoc vnus folij sche-
 diasma spurcissimis & sathanicis mendacijs
 conspurcatū nobilibus legatis porrectū fuit.
 Cæterum cum peterent ab iisdē legatis Epi-
 scopi, vt breuiter ea designarent in chartam,
 quæ in Augustano libro desideranda viderē-
 tur, schedam quandam vnus folliculi latinè Censura
 scriptâ obtulerunt. Melanchthon verò quæ- eiusdem.
 dâ de iustificatione, deq; bonis operibus cō-
 mentatus est; de quibus postmodū inter E-
 piscopos & ipsum Melanchthonē, aliosq; in-
 stituta fuit collocutio: In quâ Lutherani per Theologi
 Episcopos eò rationibus quibusdam adducti conuin-
 fuerunt adactiq; vt formā loquendi Catho- cuntur in
 licā, quæ virtutes & opera bona iustitiam af- articulo de
 ferit in fidelibus appellari, scripto suo inferi bonis ope-
 paterentur: Quod cū factum esset, hunc qui- ribus.
 dem articulum Episcopi velut conciliatū in
 confessu probauerunt, eandem asserentes esse
 libri Augustani sententiam. Tum

ANNO
1548.

Leuitas
Melanch-
thonis.

Episcopo-
rum firmi-
tas in libro
Augustano
retinendo.

Colloquiū
per Me-
lanchtho-
nem ab-
umpitur.

Tum vero Melanchthon ceu palinodiam canens publicè resiliit, aliam esse suam, & huius scripti, quam Augustani libri sententiam protestatus: Quæ leuitas ipsius in causâ fuit, ut hæc actio penitus abrumperetur. Neque enim Episcopi tutum arbitrabantur cum ijs agere, qui quod concederent pridie, id ipsum desultoriâ leuitate præcipientes postridie reuocarent. Accedebat, quod librum, Interim, in Comitijs publicis omnium Ordinum suffragijs probatum receptumque, & Cæsaris autoritate publicatum dicerent. Itaque non esse positum, aiebant, in potestate suâ, ut quicquam illi demant addantue, vel vllam in eo mutationem instituant. Nec eum in finem ad hoc colloquium se venisse; verum id spectasse tantum, vel inprimis certè, ut in hac collatione ad promouendâ concordiam vtrique declararent mentem suam, ne verba scilicet huius aut illius partis in alium sensum ab aduersarijs traherentur, quam cuiusque sententia postularet. Igitur actione per Melanchthonis incôstantiam abruptâ, quod ad vigesimum quintum Augusti diem factum est, nec constitui potuit aut definiri in hoc paucorum conuentu, quid de libro Augustano Cæsari tandem esset respondendū. Suggerebant quidem episcopi, priusquam discessum fuit, ut Cæsarem Mauritius admoneret de impetrando Pontificis indulto, quo potestas Episcopis concederetur ordinandi sacerdotes coniugatos, qui laicis vtramque

Sacra-

Sacramenti speciem porrigerent: Deinde, vt faceret in his regionibus aliquod reformationis initium, & secundum formam ordinationis per Cæsarem promulgatæ, quâ tum quidem eius fieri posset, Ecclesias in ditionibus suis constitueret. Verùm id consilij repudiatum omnino fuit, velut alienum ab instituto Mauritij, qui hoc vnum agebat summo studio, vt nec offenderet Cæsarem, si nihil concederet; nec si nimium multa largiretur, subditos à se prorsus alienaret. Mediam igitur viam quæsiuit, quam in hoc genere difficillimum fuit inuenire.

Soluto Pegauienti Conuentu, qui paucorum fuit, vt diximus, Mauritius necessitatē sibi vidit impositam omnes Ordines cōuocandi; quemadmodum in fine Misenensis cōuentus à delectis Ordinum postulatum fuerat. Datis igitur de more litteris omnes Ordines ad decimum octauū Octob. diem Torgam cōuenire iubet. Theologos verò præter Georgium Anhaltinum eisdē istuc euocat, qui Misenæ superiori tempore fuerant in cōsiliū adhibiti, Crucigero tamen excepto, quē grauis ægritudo domi detinuit; ex quâ paulò post trigelimo Octobris diem suū obiit. Reliqui, vt & nobilitas omnis, ad constitutum diē Torgæ præsentēs fuerunt. Elector, quæ de libro Augustano, deq; mandato Cæsaris mense Iunio sub initiū actionis in conuentu Misenensi proposuerat, eadem planè repetit, & quid respondendum censeant ad postulata

ANNO

1548.

Epicoporum consilium.

A protestantibus repudiatur.

IV.

Mauritius indicit Ordinum conuentū Torgam.

Acta Synodica Pp. 4. & seq.

Repetita cōlocata colloqui Misensis.

f

Cæsa-

ANNO
1548.
Ordinum
responsio.

Delecti
Luthera-
norum.

Ordinū ad
Theolo-
gos dele-
ctos ser-
mo.

Petunt Or-
dinationē
fieri ad
præscriptū
Cæsaris,
qua fieri
possit.

Cæsaris exquirat. Ordines causam hanc ve-
lut Ecclesiasticam ad Theologos rejciunt;
Quorum ubi responsum audierint, se porro
deinde sententiā suā dicturos aiunt. Quia ve-
rò de rebus alijs quoque deliberandū erat ad
republicam pertinentibus, placuit ex vni-
uerso nobilium cœtu quinque viros autorita-
te, prudētia, rerumque vsu cōspicuos deligere,
ijsque duos adiungere è cōsiliarijs, qui negotiū
de libro Augustano cum Georgio Anhalti-
no, Melāchthone, cæterisque præsentibus agē-
dum susciperent & transigendum. Hi sep-
tē numero Theologos adierunt, & periculis,
in quibus ditiones has, vnaque principem &
religionem ipsam versari dicebāt, longo ver-
borum ambitu cōmemoratis, prolixè repe-
tunt ea, quæ pridem in alijs conuentibus acta
fuerant, hortanturque Theologos, vt affectu
posito quid hoc tam periculoso tempore in
religione mordicus sit retinendum, etiam
cum vitæ fortunarumque dispendio; quid ve-
rò publicæ tranquillitatis gratia Cæsari ad-
summum indulgeri possit, habitā delibera-
tione præcisè tandem definiant: Nimirum
vt princeps ipsorum consilio quæ Dei sunt,
reddat Deo; nec tamen, quæ sunt Cæsaris in
hoc negotio, negare Cæsari videatur. Hæc
ad oratorum morē operosè prælocuti scriptū
offerunt à viris politicis in eum finem con-
textū, vt quæ probanda protestantibus essēt
in libro Augustano, quæ non essent proban-
da, per singula illius capita ordine demōstra-
rent.

rent Id scriptum si probetur ipsorum calculo, futurum aiunt, vt ex eo publica quædam ordinatio conficiatur, per omnes principis ditiones promulganda. Rogant interim, vt diligenter examinent consultationem hanc, & corrigant mutantque, quod in eâ minus commodè dictum arbitrentur; adijciant etiam, si quid forsan amplius, quam notatum sit in hoc scripto, Cæsari putent tranquillitatis & pacis gratiâ largiendum.

ANNO
1548.

Videbat Melanchthon cæteriç; de Synedrario, rerum agendarum ordinē inuerti, dum formam constituendæ religionis vel articulos concordie scriberent homines politici: Cùm illius rei cura prius ad ipsos ceu viros ecclesiasticos, rerumç; diuinarū peritos reijci cōsueuerit, vel honoris gratia deferri. Quamquã verò submolestum hoc illis accidit, receperunt tamē scriptum illud politicorum; quod hæc ferè capita cōtinebat: principio de iustificatione retinendam aiunt docendi formam, de qua Pegauix conuētum sit vtriusq; partis consensu. Dissertunt deinde de potestate ecclesiastica, de ministris Ecclesiæ, de Cōfirmatione, de Pēnitētia, de Vnctione, de Ordinatione ministrorū Ecclesiæ, de Milsâ, de Vigilijs mortuorū, de festis, de processionibus, de carniū esu. Quæ verò politici de rebus istis per modū consultationis proposuerāt, ea per dies aliquot in ecclesiastico senatu examinata fuerunt, & ad cēsuram reuocata. Post pagellis aliquot per Melanchthonē cō-

Ordo rerū
inuersus.

Summaria
scripti po-
liticorum.

Ad inuēdē
à Melanch-
thonicis
reuocatur.

ANNO
1548.
Corrigi-
tur.

Capita
Theolo-
gorum ad
Ordines
prolata.
Summaria
eorum.

scriptis notatū, quid in ea consultatione probandum videretur, quid improbandum: Quas cum delecti perlegissent, retexuerunt euestigio scriptum prius, & omnia quæ Theologis intelligebant displicere, ex illorum schediasmate correxerunt. Quod alterum scriptum cum exhibuissent Theologis, rogarunt, an hoc modo correctum placeret? Illi priori se responso dicunt insistere: Interim & alia quædam in mentem venisse, de quibus autores huius nouæ consultationis admonendi videantur; Quæ tamen delectis Ordinum non communicanda scripto, sed viua voce suggerenda censuerunt. Eorum hæc ferè summa fuit: Ante omnia ceremonias, & ritus, de quibus restituendis consensum esset, quantum eius fieri posset, expressè designandos: Conferendum cum Episcopis de ordinatione ministrorum ecclesiæ Protestantium: Cantiones Ecclesiasticas antiquitus vitatas, hymnos scilicet & sequentias, tum historias Sanctorum repurgandas & corrigendas: cogitandum de forma pœnitentiæ publicæ: pastores diligenter admonendos, vt populum ad preces, ad pœnitentiã, ad temperantiã, ad ieiunium, ad delictorum cõfessionem, ad letanias cohortentur; vt ipsi quoque cum ministris ecclesiarum à publicis occultisve criminibus, & à scandalis sibi caueant: Imò si secus faciant, deferendos esse ad Episcopos, & pœnis ecclesiasticis censurisque afficiendos: Expendendum etiam, quibus can-

cantionibus vtendum sit in Missa , cū ea ANNO
 nemine communicante peragitur. Quoniam 1548.
 verò ad hæc omnia ritè cōstituenda, quæ nūc
 viua voce partim , partim iam ante scripto
 proposita sint , maturâ sit opus deliberatio-
 ne , quæ iustum tempus non modo , sed &
 plurium concionatorum præsentiam requi-
 rat, sibi quidem, aiunt, videri non festinan-
 dum in hoc tam arduo negotio , sed actio-
 nem in aliud tempus suspendendam.

Atque ità demū & hic conuentus re pror- *Conuētus*
 sus infecta solut^o fuit: Id quod accidit Theo- *re infecta*
 logorū culpa , qui per homines politicos aut *soluitur.*
 seculares, vt loquimur, vsurpari ius alienum,
 & Theologis præscribi , quid de ritibus ec-
 clesiasticis , deq; controuerisijs fidei statuen-
 dum sit, ægrè tulisse videntur; licet hanc æ-
 gritudinem summo studio dissimularunt.

Antequam verò discederent actione iam *Alius con-*
 conclusâ , dies nouo Conuentui constitutus *uētus Cellâ*
 fuit, quem huius rei gratiâ decimosexto No- *indictus.*
 uēbris in oppido Cellensi Mauritius haben-
 dum indixit. Eo igitur præter septē delectos
 Ordinum, & Georgius Anhaltinus, Melāch-
 thon cæteri que, qui Torgæ præsentés erant, *Act. Synod.*
 conuenire iussi sunt, vt finis huic negotio tã- *Tt. 3.*
 dem imponeretur. Ne verò causam haberēt
 denuò tergiuersandi, quod pauciores essent,
 numerus illorum fere duplicatus fuit. Nam *Numerus*
 è VVittenbergēsis Pomeranus & Maior, *Theolo-*
 è Lipsiensibus Ioachimus Camerarius, è su- *gorum du-*
 perintendētibus verò, quos vocant, duo qui- *plicatur.*
 f 3 dam,

ANNO
1548.

Ordinatio
Henrici
parentis in
medium
profertur.

Ad For-
gensis a-
ctionem
appellant.

dam, Freibergensis & Pynensis illis adiun-
cti fuerunt. Hi cum Cellam cōuenissent, ini-
tium faciunt actionis : quam vt à scripto po-
liticorum, de quo Torge fuerat disputatum,
ordinationem ecclesiasticā in medium pro-
ferri postulant, quæ per Henricum Mauritiij
parentem, cūm is ab Ecclesiā Romanā di-
uortium faceret, ante annos aliquot de con-
silio Lutheri promulgata fuit : Hanc augen-
dam censent, & sicubi forsan vsus postulet,
mutandam corrigendamque ; ex quā deinde
facilè deprehendi possit, quid in Augustano
libro recipiendum iudicent, quid reijci-
endum. Et principio quidem ipsi de libro Sa-
xonico sententiam suam scripto prolixo sa-
tis exposuerunt ; quod delectis politicis de-
cimosexto Nouembris exhibitum fuit. Hi
postridiè vicissim breue scriptum exhibent,
in quo repetunt ea, quæ iam ante de peri-
culo religionis & ditionum istarum frequē-
ter inculcarant. In fine deliberationem hanc
omnem ab Ordinatione Saxonica rursus ad
Torgensem actionem reuocant, & scriptum
illud, quod in priore conuentu examinan-
dum proposuerant, auctum emendatumque
Theologis denuò censuerunt offerendum.
Illi quanquam se non admodum lubentes ad
Torgense scriptum retrahi patiebātur, quod
à politicis confectum erat ; respondent ta-
men postridiè, nec aliud ferè in medium ad-
ferunt, quam quod pridem ad nauſeam vsq;
multoties aggesserant.

Ita

Ita scriptiunculis aliquot hinc inde ceu
 velitatum fuit, eoque res perducta tandem,
 vt de ijs, quæ concedenda essent Cæsari, quæ
 non essent concedenda, Theologi & politi-
 ci consentire viderentur; duobus tantum ca-
 pitibus exceptis, de sacro Oleo scilicet, & ca-
 none Missæ; In quibus actio ceu vado illisa
 hæsit. Igitur delecti nobilium & consiliarij,
 quasi de rebus omnibus in eandem cū Theo-
 logis sententiam descenderint, ex superiore
 Torgensi & Cellensi actione decretū quod-
 dam faciunt, in quo per omnia libri Augu-
 stani capita, quid probandum sit vel impro-
 bandum, autoritate censoriâ definiunt. Hoc
 vero decretum in proximo conuentu pro-
 ponendum, ex eoque deinde, vbi communi-
 bus Ordinum suffragijs probatum fuerit, re-
 sponzionem ad Cæsarem formandam decer-
 nunt. Atque ita Conuentus iste solutus fuit,
 & Melanchthon, Pomeranus & Maior ex-
 eunte Nouembri VVittenbergam reuersi
 sunt; nec deinceps vllis de libro Augustano
 consultationibus interfuerunt. Melanchtho-
 nem quidem aliosque nonnullos Elector ad
 Conuentus proximos vocauit, Gutterboché-
 sem & Lipsiensem, de quibus statim dicemus,
 verum ad actiones adhibiti non fuerunt. Vi-
 debât politici, dum horum arbitrio res gere-
 batur, nouas perpetuò subnasci difficultates;
 nec vnquam, si ex horum iudicio pende-
 rent, futurum disputandi finem. Igitur quæ
 post Cellense decretum in hac causa susceptæ

ANNO

1548.

Velitatio-
nes virius-
que partis.Decretum
nobilium
& consilia-
riorum.Conuentus
soluitur.

ANNO
1548.
Delibera-
tiones in-
ter politi-
cos impo-
sterum ha-
bitæ.

sunt deliberationes, ex Theologis neglectis per politicos tantum habitæ fuerunt: licet impediri non potuit, quin Melanchthon, alijque priuatim à quibusdam consulerentur; quod ante publicationem decreti Cellensis Lipsiæ factum constat.

CAPVT XX.

- I. *Conuentus Gutterboci Mauritij & Brandenburgici Electorum, item Lipsica consultatio cum summa magni illius Interim.*
- II. *Ordinatio ex Lipsico Interim à Flacianis exagitata, cū cōuent. Merseburg. & Grimme.*
- III. *Intentio Casaris Lutheran. inquietudine prepedita cum Flacianorum de Melanchthone & libro Interim sententia & calumnijs.*
- IV. *Schisma inter Lutheranos maximum, vbi breuiter Maioris, Flacianæ & Osiandriana heresum origo & progressus.*
- V. *Historia Francisci Stancari, eiusq; errorum & certaminum cum Melanchth. & alijs.*

I.
Conuentus
Mauritij
& Brande-
burgici ha-
bitus Gut-
terboci.

MAVRITIUS verò, qui de placâdo Cesare perquam sollicitus erat, priusquàm Ordines denuò conuenirent, de rei summâ cum Electore Brandenburgico Ioachimo in colloquium venire voluit, quem librū Augustanum probasse non ignorabat. Atq; hic Conuentus duorum Electorū an. 1548. exeunte, 16. Decembr. habitus fuit Gutterboci, quo eodē & Iuliū Naumburgensem Episcopū Mauritius inuitauit. Et quia de libro

Inte-

Interim, deq; religione ad voluntatem Cæsaris constituendâ conferre decreuerat, Georgium Anhaltinū, Melanchthonem, Pfef-
fingerum, Camerarium, & Greferum ad dictum diem Gutterboci præsentem esse iussit.

ANNO

1548.

Acta Synod.

Zz. 1. 2. &

seq.

Hi suspicati, quod res erat, colloquendum de libro Augustano, cum primis de duobus illis capitibus, in quibus hæserat postrema Celen-
sensis actio, de chrismate nimirum oleoque sacro, de Canone Missæ, velut ad pugnam
instructi veniunt. Et de Canone quidem

Theologi

Lutherani

eodē pro-

perant.

Melanchthon scriptum quoddam secū detulit, prolixum satis, nec minus contumeliosum in sacra mysteria, quod è veteribus
mendaciorum & calumniarum sutelis ipse confarcinauerat: quanquam frustra sumpsit
laborem istum. Principes enim, adhibitis
quibusdam consiliarijs, cum Iulio Naumburgensi, neglectis Theologis, familiariter
& prolixè de vniuersâ causâ collocuti, tandem ex Anhaltino quæsiuerunt, possitne Canon
Missæ ad eum modum interpolari corrigique, vt & is retineatur: Cumque Anhaltinus, Melanchthon, & cæteri, id ipsum fieri
posse negarēt, nulla porrò facta est ad Theologos de religione mentio: Nec dubium est,
quin Ioachimus Brandenburgicus autor Mauritio fuerit, vt reciperet librum Augustanum, & hoc genus inquietos calcitrone-
ab hac actione deinceps remoueret. Ita solutus fuit & hic Conuentus, nec Melanchthon & socij, quid inter duos Electores &

Melanch-

thonis cō-

tumeliosū

scriptum.

Canō Mis-

sę reijcitur.

Soluitur

Conuen-

tus.

f 5

Naum-

ANNO
1548.

Naumburgensem Episcopum actum sit, rescuerunt.

Cōuentus
Ordinum
Lipsiæ.

Acta Synod.
Ann. 2.

Mauritius
Cellense
decretum
proponit.

Informa-
tio ei à
Theologis
exhibetur.

Continuo post Mauritius omnes Ordines, & inter eos more maiorum duos Episcopos, Misnensem & Naumburgensem ad vigesimum secundum Decembris Lipsiam conuenire iussit, vt quod per delectos Nobiles atq; Theologos in Cellensi Conuentu decretum erat, communibus omnium suffragijs confirmatum publicaretur. Vocati fuerunt ad hunc Conuentum & Melancthon alijq; quos Gutterboci præsentis fuisse paulò supra diximus. Cum Ordines conuenissent ad diem constitutum, Mauritius repetitis breuiter ijs, quæ semestri toto fere superiori acta fuerant, Cellense decretum proponit, cui breue præmissum fuit exordium, & conclusio quædam subiuncta, nimirum vt iustam haberet consultationis formam. Quamquam verò consultatio hæc vtrorumque assensu, politicorum, inquam, & Theologorum, Cellæ conclusa fuit; Theologi tamen iniussu principis denuò de rei summâ breuem scripserunt informationem, quam Ordinibus vnà cum decreto simul obtulerunt. Secuta est Ordinum consultatio; qui de ministrorū ordinatione, de Episcopis, de Misâ, de Confirmatione Oleoque sacro mouerunt aliquid; verum cum his de rebus Theologorum sententiam intelligerent, eorū secuti iudicium acquieuerunt: hac tamen adiectâ conditione, vt Ele-
ctor

ctor ageret cum Episcopis, ne quod ab ijs periculum Lutherano ministerio crearetur.

ANNO
1548.

Priusquam responsum est, Nobiles & Consiliarij quatuor è suorum numero delectos ad Melanchthonem ablegarunt, quaesitum, an & ipse Cellense decretum & omnia illius capita calculo suo probaret? Respondet ille, Si nobiles & politici consiliarij sententia Theologorum in doctrina de a-diaphoris acquieuisent, minus disputationum fuisse; Et se quidem id factum optare. Interim articulos oblatos à plenioribus Theologorum declarationibus non discrepare, suo quidem iudicio. Si quid vero sit in ijs impium, quod cum scriptis Theologorum non conueniat, id sibi nullo pacto probandum. Inter cætera politici Lutheri verba quædam inseruerant de extrema Vnctione, quam ille retineri posse iudicat. Ea Melanchthon Theologis repugnantibus inserta dicit; nec dissimulat, habere se in votis, vt in decreto deleantur. Hæc Melanchthon; cuius iudicium secuti politici Lutheri verba induxerunt. Mansit alioqui decretum, vti Cellæ conceptum diximus, & paucis duntaxat vocibus mutatis, nobilium & Ciuitatum assensu promulgatum fuit.

Nobilium
delecti ad
Melanch-
thonem.

Eius respō-
sio.

Lutheri iudicium de
extrema
Vnctione
reprobat.

Cellense
decretum
approbat.

Erant in hoc Conuentu præsentēs Episcopi duo Misnensis & Naumburgicus; qui licet antiquitus inter Ordines Misniæ censeantur, à nobilibus tamen & ciuitatibus ad hanc consultationē non sunt vocati. Re verò iam

iam

ANNO
1548.
Episcopis
Catholicis
communi-
catur.
Ab iisdem
illi contra-
dicatur.

iam transacta decretum, quod diximus, communicatum illis fuit: Quo perlecto respondent Episcopi paulo liberius oblato scripto, seque demonstrant illi decreto non assentiri, nisi qua cum Augustano libro conueniat.

Cæterum quia decretum illud de religione, quod Cellæ conceptum fuit, & Lipsiæ promulgatum, multis postea sannis atque ludibrijs exceptum est, & vehementer exagitatum à Flacianis, qui Lipsicum Interim magnum illud appellabant, & omnem illius editi culpam deriuabant in Melancthonem; ut quem consultationibus istis, ex quibus tandem natus est hic fœtus, velut moderatorem interfuisse constet, breuiter & punctim summam illius hoc loco duximus intendendam:

Summa
magni il-
lius Inte-
rim.
De Iustifi-
catione.

Quæ de statu hominis ante lapsum, & post in Augustano libro differuntur, ea decreti autores velut extra controuersiam posita ne tangunt quidem. De iustificatione hominis, deque bonis operibus retinendam dicunt eam loquendi formam, de qua sit cum duobus Episcopis in Conuentu Pegauienti conuentum.

De Eccle-
sia.

Quod vera Christi Ecclesia in Spiritu sancto congregata de rebus ad fidem pertinentibus decernit, ordinat, docetque, hoc ipsum amplectendum asserunt docendumque: Similiter & in adiaphoris vel ritibus externis seruandum, quod seruauerint Doctores Ecclesiæ veteris, & hactenus apud Catho-

Deritibus.

tholi-

tholicos in usu praxique remanserit : Ad beneficia in Collegijs præsentandos ordinandosque viros doctos, rerumque diuinarum peritos, vt idonei sint, qui functionem Episcopalem, officiumque atque iurisdictionem Ecclesiasticam, quam habent Archidiaconi, debite exequantur. Similiter doctos pastores atque Ecclesiarum ministros ordinandos, ad docendum regendumque populum idoneos. Summo præfuli (Pontifici Romano) cæterisque Episcopis, functionem suam iuxta Dei mandatum ad ædificationem Ecclesiæ non ad destructionem exequentibus, ab omnibus Ecclesiarum ministris subiectionem obedientiamque præstandam. Hos à patronis præsentatos, ab iisdem Episcopis ordinandos esse ; Et siquidem in doctrinâ vel in moribus exorbitent, puniendos atque excommunicandos. Baptismum cum Exorcismo, fidei professione, cæterisque Ecclesiæ ceremonijs docendum atque seruandum: Confirmationem quoque docendam obseruandamque ; cum primis in ijs, qui venerunt ad annos discretionis : Docendam item vrgendamque diligenter pœnitentiam, confessionem peccatorum, absolutionem, & quicquid istuc pertinet ; monendumque populum, vt confiteantur sacerdoti, ab eoque suscipiant absolutionem ; orationibus etiam diligenter incumbant & ieiunijs, & eleemosynas largiantur. Ad communionem admittendum neminem, nisi prius sacerdoti confessus

ANNO

1548.

De beneficijs Ecclesiasticis.

De Romano Pontifice.

De Pædobaptismo.

De Confirmatione.

De Pœnitentia.

De Communione.

fessus

ANNO
1548.
De Vnctio-
ne.

De Ordi-
natione
ministro-
rum.

De matri-
monio.

De Missa.

De Imagi-
nibus SS.

De Horis
Canonicis.

fessus sit, ab eoq; de peccatis absolutus. Vnctio-
tionem infirmorum iuxta D. Iacobi doctri-
nam Apostolico ritu seruandam, docen-
dumque populum vt verum eius vsum in-
telligat. Ministros Ecclesiae praesentatos à
patronis, deinceps ab Episcopis legitime
functionem suam exequentibus ordinan-
dos, adhibitis pijs ceremonijs, nec vlllos ad-
mittendos ad obeundas functiones ecclesia-
sticas, nisi praesentatos à patronis, & ab epi-
scopis ordinatos: examinandos etiam dili-
genter explorandosque, ne rudes & inidonei
ad curam animarum admittantur. Matri-
monium in his regionibus iuxta Dei ordi-
nationem omnibus Ordinibus permitten-
dum. Missam deinceps seruandam adhibitis
nolis, cereis, vasis sacris, cantionibus, vesti-
tu sacerdotali & ceremonijs: ministrandum
etiam sacerdoti, vbi copia personarum est,
& praemittendam sacro Confessionem. Om-
nes deinde Missae partes recensentur ab In-
troitu vsque ad Collectam vltimam: nec
quicquam differt hoc Sacrum Saxonicum à
Catholico Romano, nisi quod Epistola at-
que Euangelij contextum, postquam is La-
tine cantatus est, germanice legendum or-
dinatur, & loco Canonis ponitur consecra-
tio. Imagines Sanctorum retinendas decer-
nunt, & populum de earum vfu informan-
dum: Horas Canonicas de tempore, deque
Dominicis, & festis celebrioribus in Colle-
gijs & Ecclesijs ciuitatum, in quibus antea
can-

cantari consueuerint, seruandas, aliasq; can-
tiones veteres retinēdas. Cantiones funera-
les in memoriam defunctorum, & nostræ re-
surrectionis in sepulturis & post seruandas.
Seruanda per annum festa, Diem Domini-
cum: Festum Natiuitatis Christi, S. Stephani,
S. Ioannis Euangelistę, Circumcisionis, Epi-
phanix, Pascatis cum duobus diebus sequen-
tibus, Ascensionis, Pentecostes, cum duobus
diebus sequentibus, Corporis Christi: Festa
B. Marię Virginis, Ioannis Baptistę, Marię
Magdalenę, S. Michaelis, Conuersionis S.
Pauli, Decollationis S. Ioannis Baptistę, fe-
ria quinta, sexta & sabbatum in hebdomadā
sanctā: Feria sexta & Sabbato per annū, item
per Quadragesimam abstinendū à carnibus,
idq; ad mandatū Cęsarıs; Pastorib. & Eccle-
siasticis ita viuendum ex episcoporū & con-
sistoriorū ordinatione, vt & habitu sacerdo-
tali, & morū honestate discernantur à laicis,
& ordini suo populi reuerentiam concilient.

Hęc ferè summa est eorum, quę Lipsi-
cum illud Interim, Magnum à Flacianis di-
ctum, complectitur: Ex quo statim Elector
quædam generalia de ritibus externis bre-
uiter excerpta in folio iussit excudi publi-
cariq; quam schedam Flaciani paruum In-
terim Lipsiense indigetant. Atque hic exi-
tus fuit illius tam operosę & diuturnę con-
sulationis, quę nobilium ac Iureconsul-
torum opera nouum hunc scetum peperit,
Augustano libro non quidem absimilem,
cuius

ANNO
1548.

De festis
totius an-
ni.

De Ieiunio
Quadra-
gesimę.

Generalia
Interim
Lipsici pu-
blicantur.

ANNO
1549.

cuius ordinem Capitem, & verba quoque frequenter retinet; at lubrico quodam verborum apparatu contextum, vt instar cothurni vtrique pedi conueniret, iisdemque verbis Catholici & Lutherani suam quique sententiam eloquerentur: Quæ causa fuit, vt Flaciani Lipsicum hoc Interim, autores illius fautoresque tam duriter & acerbè flagellarent.

II.

An. 1549.
Act. Syn.
p. 277. b.

Ordinatio
ex Lipsico
Interim
conficitur,

Act. Syn.
Ddd. 1.

Prælegitur
atque exami-
natur.

Post Conuentum hunc anno 1549. ineunte statim de Ordinatione quâdam ecclesiasticâ ex Lipsiensi decreto formandâ cœptum est cogitari. Huius vero rei exequendæ curam Mauritius in Georgium Anhaltinum, Melanchthonem, aliosque nonnullos reiecit; quibus mandatum fuit, vt Merseburgi instituto Conuentu recenserent Ordinationem ab Henrico Mauritij patre editam, & ex eâ cum Lipsiensi decreto diligenter collatâ nouum quoddam opus conficerent accommodatum tempori, quod deinde principis autoritate per omnes illius ditiones promulgaretur. Paruerunt isti, magnoque studio volumen quoddâ prolixum ex vtroque scripto illo confarcinarunt, quod tandem Martio mensè fuit absolutum. Voluit autem Mauritius Elector, vt librum hunc, priusquam is pastoribus proponeretur, autores ipsi delectis Ordinum in Conuentu quodam prælegerent, examinandum publicandumque, siquidem ipsorum iudicio probaretur. Locum huic Conuentui designauit

Tor-

Torgam, quo Georgium Anhaltinum, Me- ANNO
 lanchthonem, Camerarium, Pfeffingerum, 1549.
 aliosque nonnullos per litteras Mauritius e- Centores
 uocauit. Venerunt eodem mandatu prin- libri.
 cipis & Ordinum delecti, vt volumen, quod Act. Syn.
 diximus, audirent prælegi, & suum illi quo- Ddd. 3.
 que calculum adiungerent.

Accidit vero præter omnem Theologo- Zelote Flac-
 rum expectationem, vt Zelota quidam Fla- ciani au-
 cianus Theologiæ Lutheranæ Doctor, ef- dax rebel-
 frenatæ mentis homo, proiectæque auda- lio.
 ciæ Melanchthonem, Anhaltinum, cæteros-
 que Theologos non modo, sed & nobilium
 delectos importunè aggressus, dictis vehe-
 mentioribus ab hoc instituto deterreret :
 Quæ res Melanchthonem cæterosque eum
 in modum perculit, vt quod mandatum erat
 à principe negotium exequi non auderent.
 Et quia Flacianus ille, quem diximus, vni- Ordinatio
 uersam hanc actionem scripto quodam su- ab eodem
 gillarar, in quo VVittenbergenses & reli- fugiliatur.
 quos Adiaphoristas, velut idololatrias, de-
 fertores veritatis, apostatas & infideles libe-
 rè criminatus fuerat, honoris tuendi gratia,
 scriptum apologeticum opposuerunt à Me- Apologia
 lanchthone consarcinatum, in quo frigidè Melanch-
 satis & trepidanter disserunt de hoc celsio- thonis.
 nis instituto; obiecta vero crimina dissimu-
 lant, atque ita negotio infecto discedunt.

Princeps Elector vbi rem intellexit, in- Mauritius
 dignè tulit factum, & eosdem qui Torgæ suos Theo-
 præsentés fuerant, tum alios præterea Su- log. Grim-
 perin- mâ euocat.

ANNO
1549.
Act. Syn.
Ecc. 2.
Causæ cō-
uentus.

Ordinatio
prælegitur.

Edictum
Principis

perintendentes atq; pastores ditionum suarum ad Calendas Maij Grimmam per litteras euocauit. Venit istuc & Elector Mauritius, & ipse verba faciens posuit causam, cur hunc conuentum indixerit: nimirum vt Ordinationem quam conscribi iusserit, examinandam illis proponeret; quæ deinde si probaretur ipsorum calculo, per ditiones sibi subditas esset promulganda. Lectum deinde fuit volumen, & omnium suffragijs probatum, additâ conditione, vt Satriapis & ciuitatum magistratibus executio demandetur, si qui se huic ordinationi forsitan obijcerent: Quod vt alicubi fieret, propter effrenatam Flacianorum insolentiam expectandum videbatur. Quia verò non omnes superintendentes pastoresq; præsentis erant, reliqui Lipsiam paulo post vocati sunt, vbi scriptum hoc illis prælectum fuit, & omnium iudicio probatum.

His peractis Edictum quoddam in Iulio scriptum fuit, ac deinde secundo die Augusti ad omnes magistratus missum, in quo princeps imprimis suspicionem animis subditorum eximere conatur, è sinistris Flacianorum persuasionibus conceptam, qui religionem sub Mauritio paulatim mutandâ sparserant: mandat deinde magistratibus, vt hanc Ordinationem curent à pastoribus obseruari. Si qui verò recusent aut tergiuersentur, vt eorum nomina vel ad se Consiliariosue, vel ad consistoria deferantur.

Cate-

Cæterum liber iste Flacianis non minus ANNO
 displicuit, quam magnum illud paruumque, 1549.
 quod vocant, Interim Lipficum: Ideoque Ordinatio
 mordaciter eundem infectati sunt, & Alco- compara-
 ranum per contumeliam, vel per ludibrium tur Alco-
 Pontificale Romanum appellabant. Hæc rano,
 prolixius commemorare placuit de consul- Melanch-
 tationibus in causa decreti, vel Interim Au- thon cona-
 gustani susceptis, quas Melanchthon omnes tur à se re-
 autoritate suâ moderabatur, eaque re tantum mouere sus-
 in se Flacianæ gentis odium concitauit vt il- spicionem:
 lius factionis homines nullis deinceps excu-
 sationibus placare posset. Conatus quidem
 est delinire quorundam animos; idque per
 litteras humiliter & perbenignè scriptas:
 sed odium altius radices egerat, quam vt
 conceptam de Melanchthone suspicionem
 ullis rationibus eximi sibi paterentur. Ex-
 tant quas de hoc argumento scripsit, episto- In ep. Sel.
 læ ad Franciscum Burcardum Vinariensem, Eius de
 ad Hamburgenses concionatores, ad Fran- hoc argu-
 cofurteneses, ad Mansfeldicos; tum ad le- mento va-
 ctorem apologetica quedam contra Flacium riaræ litteræ.
 Illyricum; ad alios etiam: In quibus consilij
 sui rationes explicat, cur nimirum in rebus
 externis quædam suaserit concedenda po-
 tius, quam vt princeps Elector, eiusque di-
 tiones omnes in manifestum religionis amit-
 tendæ periculum deuenirent: Quin & eorū
 argumenta diluit, à quibus eam ob causam
 proditæ veritatis & defectionis à fide tam
 atrociter accusabatur.

In ep. Sel.
 Eius de
 hoc argu-
 mento va-
 riaræ litteræ.

Act. Syn.
 ubi supr. Co
 seq.

Flaciano-
 rum obie-
 ctiones di-
 luit.

ANNO
1549.
Act Syn.
Kkk. 1.
Ab ijs o-
mnibus
exponitur
periculis.
Ibid pag.
454. & 457

Verum frustra laborauit, vti diximus: nullus erat excusationi locus; imprimis apud Flacium, qui præter cæteros acerbè Melancthonem exagitabat. Per hunc vociferabatur, non modo ritus abususq; veteres restitui, sed & mutari doctrinam ipsam, & papatum, vt isti loquuntur, rursus induci. Itaque non solum modo Flacius, sed & alia quoque atrociora, imo & gladios atque mortem illi minabatur; vastitatem asserens in templis faciendam fuisse potius, & metu seditionis terrendos principes, quam vt quicquam in rebus etiam licitis publicæ tranquillitatis gratiâ concederetur. Ita tumultuabatur ille velut æstro Lutherano percitus, & Melancthonem, quem gladio non poterat, calamo configebat.

Liber Augustanus ab omnibus legitur.

Iam vero per idem tempus & liber Augustanus in manibus hominum versabatur, autoritate Cæsaris publicatus in eum finem, vt Lutherani ad normam huius ordinationis ecclesias suas constituerent, donec Concilium fineretur: nimirum vt vno gradu facti propinquiores, deinde facilius ad Communionem orbis Christiani per Concilium rursus adiungerentur.

III.
Cæsaris
intentio.

Interea Cæsar eos hac ordinatione ceu nexu quodam astringere voluit, vt confiterent tandem in hac scødâ religionum perturbatione, nec quibusuis errorum flatibus ab Ecclesiæ portu longius in procellosum hæreseon mare prouerentur. Atque hoc
Cæsa.

Cæsaris fuisse consilium minimè latuit Con- ANNO
 cionatores Lutheranos: Itaque cum liber in 1549.
 publicum prodijisset, vrgeretque Cæsar, vt
 omnes illum, velut probatum communibus Luthera-
 Ordinum suffragijs, & Imperij decreto pu- norum in-
 blicatum reciperent, totis castris cœptum quietudo.
 est inter Lutheranos tumultuari. Quidam
 non cedendum Cæsari clamabant vel latum
 vnguem, nec restituendum quicquam, quod
 esset semel abolitum; ne eas quidem cere-
 monias, quas diffiteri non poterant vtilis es-
 se, & ad promouendam in hominibus pie-
 tatem oportunas. Horum verò tanta erat Eorundem
 infania, vt si cathedram ascensuri stolam li-
 neam induerent Catholico ritu, Christum infania.
 amitti censerent, & verbi puritatem horren-
 dum in modum contaminari. Aiunt dixif-
 se quendam ex istis palam, minus piaculum In lib. VVit.
 fore, si committeret homicidium, quam Grundli-
 si concionem habiturus togæ vestem line- cher Bericht
 am superindueret. Alius quidam huius gre- p. 64.
 gis Lutheranae Theologiae Doctor in litte-
 ris ad amicum hæc verba eblaterat: Libe-
 rè dico, inquit, omnes eos, qui in minimâ
 ceremoniolâ obsequuntur Cæsari vulpi, In ep. de A-
 imo lupo, eos ipsos quouis scelesto, sacri- diap. per Il-
 lego, & latrone conscientiarum atrociores. lyricum edi-
 Atque hoc genus zelo:æ Flaciani diceban- tis. E. b. n.
 tur à Matthiâ Flacio quodam homine Illy-
 rico, quem primum factionis istius autorem Flacius dux
 fuisse constat. Hunc veluti ducem seque- rigidorum
 bantur Ambsdorffius, Gallus, Iudex, VVi- Lutherano-
 gan- rum.

ANNO
1549:

Melanch-
thon ab o-
mnibus in-
festatur.

Cæsari
quare in-
uisus.

*In resp. ad
calum. Fla.
B. 2. a.*

gandus, Mörlinus, alijque per Germaniam, qui se genuinos esse Lutheri discipulos, eiusque doctrinam sequi gloriabantur à corruptelis pontificijs fermentoq; veteri penitus expurgatum: Quorum nonnulli cum hanc Cæsaris ordinationem linguâ calamoq; petulanter exhiberent & contumeliosis verbis exploderent, velut turbatores publicæ tranquillitatis sedibus suis expulsi fuerunt.

In horum verò numero Cæsar & Melanchthonem censuit, qui licet à turbulentis Flavianorum machinationibus abhorreret; impediuit tamen, quanto studio potuit, ne liber Augustanus à Mauritio simpliciter reciperetur. Ita factum est, vt & domesticorum virulentos sentiret morsus, quod ritus quosdam Catholicos pacis causâ restitui pateretur; & grauissimam Cæsaris indignationem sustineret, qui Mauritium Electorem quo minus Augustano decreto subscriberet, persuasum habebat à solo Melanchthone distineri. Huic igitur quemadmodum & consiliarijs grauiter hanc ob causam succensebat: imprimis cum Mauritium cum subditis intelligeret nouam ecclesiæ constituendæ formam procudisse, repudiata ordinatione, quam ipse decreto Comitiorum publico firmatam in lucem emiserat. Omnem verò culpam huius rei conferebat in Melanchthonem, qui hanc ob causam in in periculo versabatur.

Hunc

Hunc enim (utar verbis VVittenber- ANNO
 gensium) tanquam hostem publicæ pacis ac 1549.
 tranquillitatis Germaniæ, & omnium illo
 rum Consiliorum, quæ ad pacem specta-
 rent, turbatorem atque elisorem, edictis
 conscriptis, & satellitibus huc illuc missis
 cum mandatis Imperator quæri & sisti ad
 dicendam causam, & ad supplicium; si oc-
 cultaretur, explorari; si repugnaret in-
 uitum vi abripi; si defenderetur, cum com-
 minatione atrocissimarum pœnarum flagitari
 ac deposci iussit.

Hæc illi de Melanchthone: Quanquam Iudicium
 is longe moderatius in hoc negotio censuit eius deri-
 agendum, quam qui Flacium ductorem se- tibus.
 quebantur. Licet enim dogmata libri ple-
 raquæ velut papistica repudiabat, à ritibus
 tamen quibusdam & ceremonijs pacis causâ
 restituendis sese professus est non alienum:
 nec autor esse cuiquam voluit, ut propter
 ritus externos, qui non officerent pietati,
 vel moueret turbas, vel à statione sua disce-
 deret.

Hoc ipsius iudicium probarunt Lutherani Eius affe-
 moderatiores, Pomeranus, Maior, Pseffin- clæ,
 gerus, Menius, Greferus, Camerarius, Zieg-
 lerus, alijq; qui per diçiones Mauritij Saxo-
 nis & Ioachimi Brandenburgici scholas ec-
 clesiasq; moderabantur: quos eam ob causam
 Flaciani velut Papistas ac desertores euange-
 lij criminationibus, mendacijs, & calumnijs
 propemodum obrutos, in scriptis, in concioni-
 bus

ANNO
1549.
Eorum mixtum religionis genus.

bus vehementer sunt infectati. Hi præcipuis Augustanæ Confessionis dogmatibus sese profitebantur in solidum adhærere. Interim ceremonias quasdam restituebant priorem abrogatas, atque ita peragebant diuinum cultum, vt si spectes ea tantum, quæ in oculos incurrunt, Catholicos esse nihil dubites. At reuerà externis Catholicorum ritibus ceu laruâ quadam aut velamine Lutheranismum operiebant: vt mixtum quoddam religionis genus exercere viderentur, è Catholicis ceremonijs, dogmatibus Lutheranis conflatum: Vnde Flaciani Melancthonis sectatores Adiaphoristas, vel Interimistas cum Samaritanis comparabant. Interim satis misera erat Melancthonis conditio, cum non minus socios in hac causâ, quam aduersarios offenderet; hos duritie quadam in repudiandis Augustani libri dogmatibus; illos vero leuitate atque mollitie in ceremonijs recipiendis; quarum vehiculo papatum, vt loquuntur isti, reducendum successu temporis clamitabant.

Melancthonis status miserabilis.

Flacianorū petulantia.

Quâ in re Flacij cæterorumque factionis istius insignem petulantiam & tumultuandi libidinem detestabantur ij, qui Melancthoni adhærebant. Nam quod per eum dogmata restitui clamitabant Ecclesiæ Romanæ, id mendacium erat malitiâ fultum & virulentis calumnijs; quemadmodum Cæsaris indignatio testatur; de quâ iam ante diximus: Ad Ceremonias vero quod atti-

Cam. in
vit Mel.
pag. 294.

attinet, easdem ferè continebat liber à Cæ- ANNO
fare promulgatus, quas pridem Ioachimus 1549.

Electo Brandenburgico, Henrico Saxonie
Dux, eiusque filius Mauritius, tum Georgius
Anhaltinus in diuino cultu retinendas de-
creuerant; idque ordinatione publica, libris
etiam eâ de re diuulgatis. Neque tum recla-
mauit quisquam; ne Lutherus ipse quidem,
quo viuente principes isti, quos diximus, de-
fertâ maiorum fide ab Ecclesiâ descuerunt.

Imò cum omnium applausu recepta fuit il-
la diuini cultus & rituum cõformatio, quam
nunc, cum Cæsar ex Imperij decreto restitui
vellet, tanta per Illyricum eiusque gregales
in Germaniâ tempestas fuit excitata; quæ
cum primis in Melanchthonem velut autorẽ
adiophoristicæ factionis horrendum in mo-
dum defæuijt.

Quoque magis mireris inso-
lentiam istorum, & peruersum contrà niten-
di studium; erant adhuc in vsu Catholicæ
ceremoniæ quædam ad illud vsque tempus,
quæ tum primum abolitæ de industria fue-
runt. Salis vsus in administrando baptisma-
te manserat inter Lutheranos quosdam huc-
usque, etiam in ecclesiâ VVittenbergensi,
quem ann. 1548. primum sustulerunt post
Augustana Comitia, in quibus liber Interim
Ordinum consensu decretoque publico pro-
mulgatus fuit. Placuit ritus iste Lutheranis
ab exortu Lutheranismi annis penè triginta:
Verum cum Cæsar eum retineri cuperet, vel
hanc ob causam omissus primum fuit & reie-

Ceremo-
niæ apud
Luthera-
nos tẽpore
Lutheri.

Postmodũ
abrogati.

ANNO
1549.

IV.
Luthera-
nismus in
duas fa-
ctiones
abit.

Maiorista-
rum & O-
siandrino-
rum.
Vtriusque
dogmata.

Wittēber-
gēses Ma-
iorista.

ctus ; vt homines istos in hoc negotio non affectu duci religionis, sed odio in Cesare, & contrà nitendi studio præcipites ferri nihil dubites.

Dum Flaciani cū Melanchthonicis Adia-phoristis hunc in modum de ritibus & cere-monijs altercantur, præter scdam, quæ ex illo certamine nata est, distractionem, & a-lias duas factiones aut sectas Lutheranis-mus peperit, quæ Melanchthonem nouis exagitationibus exercuerunt. Harum alte-ra, quam Maioristarum vocant, VVitten-bergæ per Georgium Maiorem suscitata fuit: Altera vero, quæ anno 1549. Regio-monte in Borussîa nata est, Andream Osi-andrum parentem agnoscit; à quo & Osi-andrinorum secta nominatur.

Cæterum vterque, Maior, inquam, & O-siander, doctrinam suam de Iustificatio-ne, quam non minus à se mutuo, quam à cæteris Lutheranis diuersam profiteban-tur, è Lutheri scriptis haustam asserbant. Maior obedientiam & mandatorum obser-uationem docebat ad salutem esse necessa-riam, nec posse saluari quenquam, nisi cha-ritatis igne succensus, per Dei gratiam bo-num operetur: Quod dogma velut papisti-cum Flaciani magnis clamoribus exhibila-runt. Sententiam Maioris VVittenber-gēses & Lipsienses tuebantur, alijsque per Germaniam Lutherani moderatiores: Quos mordaciter insectabatur Flacius Illy-ricus,

ricus, & qui se Flacio contra Melanchthonem eiusque discipulos adiungebant, Ienen-
ses scilicet, tum Nicolaus Gallus, Nicolaus Ambsdorffius, qui Episcopatu Naumburgensi, quem Saxonis Electoris auxilio per vim inuaserat, à Cæsare deturbatus Magdeburgum profugerat ad nidum veterem; alijque factionis istius homines turbulenti; quos Melanchthon, quoad vixit, velut hostes pacis publicæ & Ecclesiæ Lutheranæ perduelles vehementer detestatus est.

Disputabatur verò non modo de bonis operibus, eorumque valore, sed & de euangelij proprietate atque naturâ, de libero arbitrio, eiusque viribus & facultate in rebus ad salutem pertinētibus, de conuersione mentis ad Deum. Et quia VVittenbergenses ex disciplinâ Melanchthonis humano arbitrio plus tribuebant, quam vellent Flaciani; virtutem quandam cooperandi scilicet in conuersione, propterea Synergistæ per contumeliam ab aduersarijs sunt appellati. Hos verò Maioristas & Synergistas honorum operum defensores, isti velut degeneres ingratosque Lutheri discipulos, vt Iudæi Samaritanos quondam, abominabantur; eosque hæreticos, hostes euangelij, & corruptores doctrinæ purioris appellabant; quos abiectâ veritatis professione è Lutheranorum castris ad papistas transfugisse vociferabantur. Cæterum eorumque virulentia Flacianorum incruduit, vt in conuētibus suis de

ANNO

1549.

à Flacio & affectis cō- uitijs ex- positi.

Cam. in vi.
Mel. p. 266.
Capita cō- trouersa.

Defectio- nis, transfugij à Lutheranismo accusantur.

Flacianorum imperus.

pro.

ANNO
1549.
Cam. ibid.

Melächth.
perpetuò à
Flacianis
affligitur.

Flacij Ci-
copolis fili^o
Melancht.
vitæ per-
tæsus.
*In epist. ad
Cam. p. 625*

Hæresis
Osiandri.

Schluss. in
catalog. hæ-
ret. de Osi-
and.

prohibendis quibusdam libris Melanchthonis deliberarint; ijs scilicet, ex quibus Maior & Synergistæ sententiæ suæ fundamenta hausisse videbantur: Quanquam, ne quid huiusmodi in contumeliam Melanchthonis statueretur, per quosdam moderatiores fuit impeditum. Hæc & id genus alia Flacianis; quibus Maioristæ, vt obiectum hereleos crimen & defectiois infamiam diluerent, non segniter occurrebant: Vnde atrox & diuturnum certamen inter Lutheranos exarsit, quod nec Melanchthonis, Maioris, Flacijq; morte, nec vllis conciliationibus in hunc vltique diem extingui potuit: Quæ res Melächthonem, dum in humanis esset, grauiter afflixit; quod variæ ipsius querelæ de Flacianorum improbitate atque malitiâ testantur. Flacium certè odit infelissimè, quem Cyclopi filium appellat, & γαλάτην quendam, imò δραπέτην σλαβόν. Flacianos verò Sycophantas vocat, à quibus cum propter moderata consilia petulanter exagitaretur, ceu vitæ pertæsus, Si fatalis mihi hæc calamitas est, inquit, vt talibus calumnijs opprimar, libenter profectò non modo ex Germaniâ, sed etiam ex hac vita discedam.

Ad Osiandrum verò quod attinet, is nouum commentus est & prius inauditum dogma de iustificatione, quod velut purum putum euangelij nucleum orbi veditauit, haustum, vt ipse dicebat, è Lutheri scriptis: Nequa scilicet esset hæresis extremis temporibus,

bus, quæ aliunde, quam ex Lutheri pectore dimanarit. Summa dogmatis est, Hominem iustificari per essentialem Dei iustitiam habitantis in nobis, & ad bene operandum nos impellentis: Eam verò iustitiam, tametsi nihil sit aliud, quam vnus Dei Patris, Filij & sancti Spiritus in nobis habitantis essentialis iustitia, non alibi tamen quærendam asserit, quam in Christo incarnato; cuius non mortem & sanguinem, vt hominis, sed essentialem iustitiam, vt Dei, nostram iustitiam esse statuit: Quæ tametsi non verè in nos transfundatur, sed per quendam imputandi modum nostra fiat, tamen reuera nostram esse contendit non secus, ac si ex nobis haberet originem. Hoc commentum quemadmodum hæreticis in more positum est, plurimis S. Scripturæ cumulatis testimonijs stabilire nititur: Nec aliud sensisse Lutherum asserit, quamuis sententiam suam non aperte satis & luculenter explicarit: quod è scriptis ipsius, productis itidem non paucis testimonijs, persuadere conatur. Itaque Melancthonem, ait, à Lutheri sententia discessisse, & imputationem mortis Christi quandam commentum, quam verbis nonnihil obscuris in Augustanam quoque Confessionem intulerit. Atque hæc causa fuit, quod Osiander, postquam hæresin suam libris editis in publicum referre cœpit, vix quenquam exagita- uit durius, atque inclementius tractauit, quam Melancthonem, quem noui dogma- tis

ANNO
1549.

Dogmata
Osiandri
de Iustifi-
catione.

E Lutheri
scriptis
hauista.

Melanct.
ab Osiandri
infectatur.

Dogma
Melanct.
de imputa-
tione iusti-
tia.

ANNO
1549.

Osiandri
arrogantia
in Luthe-
ranos.

Eius habi-
tus & di-
positio.
In ep. &
resp pag.

In eo com-
pescendo
Luthera-
norum la-
bores.

Melancht.
dissimula-
tio.

In epist. ad
Cam. p. 596

tis de imputatiuâ iustitia primum autorém arbitrabatur. Interim viuente Luthero publicè nihil machinatus est ; tametsi per occasionem subinde proderet conceptum animo virus. At postquam ille sublatus fuit , dixisse ferunt Osiandrum , Leone mortuo se reliquas feras (Melanchthonem cæterosque Lutheranos) facillè superaturum.

Erat Osiander homo rusticus , ferox , eruditionis fiduciâ tumidus , & prorsus ex eo genere ferarum , inquit Calvinus , quæ non cicurantur. Quanquam igitur laboratum fuit à concionatoribus cæteris , vt intra cancellos confisteret à præceptoribus constitutos , nec Ecclesiam Lutherânam intestinis dissidijs alioqui satis laborantem , excitato nouo certamine grauius affligeret : frustra tamen admonitiones istæ fuerunt. Melanchthon certè , cùm adhuc in fomite glisceret aut scintillaret dissidium , imprimis hoc egit , vt sopiret malum , ne scilicet in publicum incendium erumperet. Itaque cum anno 1548. theses quasdam Osiandri vidisset , eas non improbavit ; futurum sperans , vt ille vicissim tractabilem sese atque mansuetum præberet. Ea de re cum scribit ad amicum quendam ex intimis , Mitto , inquit , Osiandri propositiones , quas

„ probo. Sed certamen in *παρέρυοις* exor-

„ tum est , quod sedabimus. Sed hanc ar-

„ bitror velitationem esse , sequentur ma-
iora

iora prœlia. Hæc Melanchthon ad Came- ANNO
 rarium, quasi tempestatem præfagiens, quæ 1549.
 anno sequente proximo è Borusfiâ in caput
 ipsius horrendum in modum sæuire cœpit.

Osiander enim, cùm propter Augustani Osiander
 decreti contemptum Cæsaris iram metu- exul Al-
 ens in Borusiam è Germaniâ profugisset, bertum
 eiusque provinciæ principem Albertum Prussiæ
 Brandenburgicum adiunxisset partibus suis, Ducem in-
 tandem anno 1549. prodijt in publicum, ac ficit.
 deinceps libris editis hostem se Melanch- Ann. 1549.
 thonis & VVittenbergensium est professus: Melancht.
 Quos in confessione sua petulanter & acer- & VVit-
 bè verbis ad contumeliam compositis exa- tenb. pub-
 gitavit. licè exagi-
 tat.

Ea res Melanchthonem reddidit perple- Melanchth.
 xum, & terruit nonnihil, præsertim cum O- perplexi-
 siandrum intelligeret sibi cum primis infen- ras.
 sum esse, ac dira imitari. Qua de re scribens In epist. ad
 ad Camerarium, A Baltico littore, inquit, Cam. p. 631.
 flatus horridi nos feriunt. Audio minas, "
 ὅτι ὀδημήγορος ταμῆ φλέβα μοι, ὄδεν τὸ "
 αἷμα ἐς ὅλην γερμανιανὰν ἀβράξει: Quod "
 concionator populi illius (Osiander) inci- "
 surus sit mihi venam, vnde sanguis e- "
 bulliat in totam Germaniam. Igitur cum
 honoris causa prodeundum esset in pu- Eius trepi-
 gnam pauentis instar & restitantis in are- datio in re-
 nam descendit; & tardius quidem, quàm fellendo
 plerique cæteri. Scripsit sanè libellum Osiandro,
 germanicum valdè tenuem, quem Io-
 annes Pomeranus Pastor, & Ioannes
 Forsterus

ANNO
1549.

Forsterus Hebraicæ linguæ professor subscriptis nominibus approbarunt: Sed nec animum fatis præsentem, nec vigorem illum attulit ad causam hanc, quem ipsa negotij magnitudo, & aduersarij conditio postulabat. Interim quibus potest præfidijs tuetur opinionem suam de imputatiua iustitia contra Osiandrum, cuius rationes ita diluit, vt vitabundo similis multa dissimulet; quod se pacis studio facere dicit, ne certamen grauius incrudescat.

Osiandri
scriptum
atrox in
Melanch-
thonem.

Osiander vbi vidit libellum hunc, ex Melanchthonis puillanimitate maiores ipse sumpsit spiritus, correptoq; calamo eum in modum respondit, vt nec vllum daret respicientiæ signum, & priores contumelias additamento quodam cumularet. Inter cætera Melanchthonis discipulos, ait, dissidere sententijs inter se de iustificatione, de quæ hoc vno dogmate è libris ipsius opiniones diuersas ferè quatuordecim hausisse: Quod obiectum probrum, vt & alia quædam Melanchthon dissimulauit. Quanquam verò nõ Melanchthonici modo, sed & Flaciani Osiandrum oppugnabant, inuenit tamen ille suos asseclas inter Lutheranos, qui partes ipsius sequebantur. Et contagio quidem è Borussia maturè serpsit in Pomeraniam, vbi Lutheranus quidam Artopæus non infimæ sortis homo, qui Stetini concionatorem agebat, Osiandri dogma cum zelo tuebatur. Quæ causâ fuit, vt à Paulo Rodio superintendere,

Probrum
dissidij ob-
ijcit Me-
lanchthoni.
Dogma O-
siandri in-
ficit Prus-
siam & Po-
meraniam.

Artopæus
ob dogma
Osiandri
oppressus.

care

cæterisq; verbi Lutherani ministris oppres-
sus, autoritate principis de statione sua deij-
ceretur. Erat Artopæus ætate prouectior,
cumq; Stetino discedendum esset, V Vitten-
bergam profugit; vbi cum Melächthoni mi-
seriam suam exposuisset, seq; paratū diceret
idem sentire cum V Vittenbergensibus, & ab
Oliādno discēdere, litteras obtinuit ad Pau-
lum Rodium Superintendentem, quem di-
ximus, eiusq; collegas. Quos rogat Melanch-
thon, vt principem ærumnoso seni conciliēt,
eiq; potestatem impetrent ad vxorem libe-
rosq; redeundi. Interim vt Pomeraniæ prin-
ceps Philippus Oliādrinos, ita Borussia Dux
Albertus Lutheranos, siue Melächthonicos,
siue Flacianos in exilium pepulit: Inter quos
& Ioachimus Morlinus Regiomonte cedere
fuit coactus, homo prodigiosè Lutheranus,
cuius in Oliandrum scripta extant Flaciano
felle confersa. Quanquam hic idem Morli-
nius multis annis post, cū princeps iā decre-
pitus noui dogmatis tædium cepisset, in Bo-
russiam reuocatus Oliandrinū fermentū ex-
purgauit, & Sābiensis episcopus creatus fuit.

Cæterū Oliandri controuersia, & alij cui-
dam nouo certamini inter Lutheranos occa-
sionem dedit, quod per Franciscum Stanca-
rum Mantuanum excitatū est. Erat hic Stan-
carus in academia Regiomontana Theolo-
giæ Lutheraniæ professor, Oliandri collega:
cuius errorem de iustificatione dum oppu-
gnaret, accidit homini, quod vulgo dicitur:

u

Inci-

ANNO
1549.

V Vitéber-
gam fugit
ad Meläch-
thonem.

Conatur
impetrare
restitutio-
nem.

Melanch-
thonicorū
& Oliādrin-
orum ex-
ilia.

Morlini,
expulsio
ob Luthe-
ranismum.

V.

Nouus O-
liandri
partus er-
ror Stan-
cari.

Schlusselb.
de stanc. ca-
talog. haret.

ANNO
1549.

*Incidit in Scyllam cupiens vitare Charyb-
dim.*

Dogma
Stancari
de Iustifi-
catione.

Stancarus
monachus
excuculla-
tus.

Ad Nesto-
rianam hē-
resin de-
scendit.

Eius falsi
canones.

Osiander diuinæ naturæ tantū tribuebat iu-
stificationem; quam Stancarus humanæ na-
turæ tantum tribuēdam asseruit. Ita factum,
vt saltum faceret ab extremo vno ad alte-
rum, & à via regia, quæ veritatis est, turpi-
ter exorbitaret. Legerat diligēter, cū ad-
huc in monasterio viueret (nam & hic de ex-
cucullatorum grege fuit) Petrum Lombardum,
qui vulgò Magister sententiarum ap-
pellatur, & Scholasticos Theologos: quo-
rum si phrasin tenuisset, loquendique for-
mam de Christo Salvatore, vt sententiam
illorum se tueri profitebatur, in has salebras
non incidisset. Verū quia non ad sobrie-
tatem, sed plus sapere voluit, quam oportet,
ita de Christo Salvatore locutus est, vt
ad Nestorium inclinare videretur. Chri-
stum hominem passum & mortuum esse, fu-
disse sanguinem, eoque sanguine & morte
liberasse genus humanum, ac meruisse iu-
stificationem; sanè & rectè dicitur: At Chri-
stum, vel vt Deum modo, vel tantum vt ho-
minem operari salutem hominum, eosve iu-
stificare, & è statu damnationis in sortem fi-
liorum Dei transferre, non rectè dicitur;
cū id vtriusque naturæ sit opus. Prius il-
lud Osiandrum docuisse, posterius Stanca-
rum Lutherani testantur: Quorum nonnulli
dum refellunt errorem Stancari, vicissim ad
extremum resiliunt, dum Christum asse-
runt

runt Deum & hominem ita secundum v- ANNŌ
tranque naturam esse Salvatorem; vt diui- 1549.
nam quoque ipsius naturam passioni mor-
tique subijciant. Sunt vicissim è Lutheranis
alij, qui quod est proprium diuinæ naturæ
tantum, scilicet omnipotentem esse; & vbi-
que præsentem, humanitati quoque ascri-
bant: Quâ de re non est hic docendi lo-
cus:

Stancarum oppugnarunt non modo Lu-
therani omnes, licet inter se magnâ animo-
rum virulentia dissiderent; Osiandrini scili-
cet, Melanchthonici, Flaciani, Maioristæ;
sed & Tigurini Zvvingliani & Calvinistæ;
Quibus ille velitabundus occurrit, & ma-
gno animo quidem: Quanquam vbi pu-
gnam sensit ingruere cum aduersarijs Lu-
theranis, abdicatâ professione; Regiomon-
te discessit in Poloniam: Vbi cum tibi non-
nullos adiunxisset, varijs scriptis Luthera-
nos simul & Tigurinos lacepsit. Inter pri-
mos autem, qui Stancaro sese obiecerunt,
fuit Andreas Musculus, Francofurtensis aca-
demix ad Oderam Lutheranus Theolo-
gus; cui Stancartus animosè satis obuiam
processit. Inter hos igitur cum certami-
nis factum esset initium, Melanchthon à
quibusdam interpellatus, vt & ipse de-
scenderet in arenam, dequæ causa iudi-
cium suum interponeret, prodijt ille qui-
dem, sed cunctabundus, nec lubens admo-
dum, & scriptum diuulgauit sub hoc titulo:

Stancarus
à Luthera-
nis & Cal-
uinistis
oppugna-
tur.

In Poloniâ
fugit.

Stancari &
Luthera-
norum al-
tercatio-
nes.

Melanch-
thonis ter-
giuersatio
& scriptum
in Stanca-
rum.

ANNO 1549. Responsio Philippi Melanchthonis de controuersijs Stancari; in quo sententiam Andreae Musculi probat, tueturq;. Hanc responsionem fatetur alibi Melanchthon ipse multo breuiorem esse ac summissiorem, quam postulet magnitudo causae. Sed hominem, inquit, iracundum ac biliosum non volui accendere. Scripsit verò Cēsuram hanc Defsuiæ oppido Principum Anhaltinorum, quam mense Iunio in festo S. Ioannis Baptistæ absoluit an. 1553.

Stancari replica & scriptum contumeliosum in Melanchthonem. Stancarus, cum & Melanchthonem aduersarijs accedere videret, vt erat ingenij vehementis & impotentis animi, continuo scriptum opposuit, in quo contumeliosè tractauit Melanchthonem grammaticum illum, & Theologiae ignarum, adeoque antichristu appellans. Melanchthon vero, quem huiusmodi certaminum vehementer tædebat, cum sententiam suam publicè declarasset, sese officio suo perfunctum ratus, ictu dissimulato discessit è pugna, nec deinceps in Stancarum arma sumpsit. Paulò ante quam Stancariani certaminis scetor in publicum erupit, anno scilicet 1550: Melanchthon in

Melancht. in certamine occumbit. Angliam vocatus fuit, quo ante biennium Petrus Martyr, & Bernardinus Ochimus Itali; & anno superiore proximo Martinus Bucerus, & Paulus Fagius germani, Sacramentarij vtriq; ad euertendam religionem Catholicam acciti conuolarant. Eo quidem hoc anno Ioannes à Lasco Polonus eodem

Ann. 1550. Melancht. in Angliã vocatur.

eodem profectus fuit : Melanchthon vero, ANNO
 quanquam & is desiderabatur, domi re- 1550.
 manlit.

CAPVT XXI.

- I. *Comitia Augustæ ob Concil. Trident. scri-
 pta Luther. ad Concil. cum obsidione Mag-
 deburg.*
- II. *Delecti Lutheran. ad Concil. Trid. per Mau-
 ritium Elect. eiusq. Credentiales.*
- III. *Mauritij fœdus cum Gallo tres Episcopatus
 ab Imperio detruncante contra Cæsarem,
 eius & Alberti Brandenb. mors concilijq.
 Trid. absolutio.*
- IV. *VVittenbergæ & Lipsiæ pestis grassatur dum
 Melanchthon in Angliam euocatur, con-
 trouersia inter Ioānem Fridericum Saxo-
 niæ Ducem & Augustum Electorem. mors
 Anhaltini & Sturmij.*

CÆSAR eodem anno Comitia rursus I.
 Cægit Augustæ, quo Principes & Ordines Comitia
 mense Iulio conuenire iussit. In ijs Comi- Augustæ.
 tijs Ordines Concilij futuri decretis se de-
 nuò submiserunt, quemadmodum ante *Sur. in cōm.*
 triennium, cum eodem loco conuentus ha- *ad hunc an.*
 beretur, factum quoque diximus. Itaque
 Cæsar quanto potuit studio laborauit, vt
 Synodus propter terrores bellicos hæcte- *Synodus*
 nus suspensa rursus instauraretur : Effecit- *restaura-*
 que tandem, vt Iulius Tertius Pontifex, *tur.*
 qui *Sleid. l. 22.*
 u 3 *pag. 636.*

ANNO
1550.
Tridentū
trās fertur.

*Camer. in
vit. Mel.
pag. 310.*

Melanch-
thon sum-
mā doctri-
nā confar-
cinat offe-
rendam
Concilio.

*Cam. in vi.
Mel. p. 310.*

qui circa tempus hoc Paulo tertio defun-
cto surrogatus fuit, Synodum Bononiā Tri-
dentum reuocaret. Quod cum impetrasset
Ordines enixè cohortatus est, magnoque
cum affectu, vt pium hoc, & Germaniæ per-
necessarium atque salutare negotium sum-
mis viribus promouerent: Quæ res nouam
Lutheranis sollicitudinem iniecit.

Et Mauritius quidem in mandatis dedit
Melanchthoni, vt scriptum quoddam com-
poneret offerendum Synodo Tridentinæ,
si res ita ferret, quod summam doctrinæ
breuiter explicatam complecteretur. Pa-
ruit ille, & huiusmodi scriptum confecit;
quod vbi fuit absolutum, princeps calculo
præcipuorum concionatorum ditionis suæ
voluit approbari. Eos igitur Lipsiam con-
uenire iussit, vbi scriptum Melanchthonis
prælectum illis fuit, & communibus suffra-
gijs comprobatum: Quanquam inter con-
cionatores erant nonnulli Flaciana labe in-
fecti, qui nonnihil oggannirent, & supe-
riorum temporum actiones de libro Inte-
rim liuido dente arroderent; quos reliqui
suffragijs & numero superatos faciliè repres-
ferunt.

Cæterum cū de scripto hoc per Melanch-
thonem confarcinato rumor sparsus esset,
principes aliquot & ciuitates Lutheranae co-
piam eius sibi fieri vehementer expetebant:
At Mauritius id cuiquam communicari no-
luit.

Impri-

Imprimis VVirtēbergicus princeps Christophorus Vlrici filius, qui patri non ita pridem vita functo successerat, & Senatus Argentinenſis quosdam miserunt è concionatoribus suis, qui cum Saxonis de rebus conferrent in Concilio proponendis; ante omnia verò Melanchthonis iudicium in hoc genere certius explorarent. Atque illi quidem, VVirtenbergici inquam, secum deferebant simile quoddam Brentij scriptum; quod anno sequente principis illius nomine Tridentini Concilij Patribus oblatum fuit; & hoc agebant magno studio, ut esset eorum, qui Confessionem Augustanam profitebantur, in hac actione consensus quædam & dogmatum conformitas. Erant enim annis proximis in sectas atque factiones fœdè diuulsi: Quæ res prudentioribus Lutheranis magnas curas peperit, metuentibus nimirum, ne domesticæ concertationes in causa communi plurimum obessent. Itaque vel consensum qualemcunque, vel syncretismum aliquem institutum cupiebant; ne si distracti à se mutuo, & in turmas hostiliter diuisi, prodirent in hoc Christiani theatrum, ludibrio seipsos exponerent, & causam, quam tuebantur, vel his ipsis dissensionibus suspectam redderent. Quamquam verò nonnulli Synodum in Saxonia suaderent conuocandam; in qua consultandum putabant de rebus communibus, & domesticas Lutheranorum dissen-

ANNO

1550.

Wirtenbergici & Argentinenſium studium in tētanda concordia.

Syncretismum machinantur.

ANNO
1550.
Melanchth.
opinio.

Eius scrip-
tum exhi-
betur.

Conuent⁹
Wittenb.
& Lipsiæ.

Titulus
scripti Me-
lanchth.

*Pomar. in
Chron. Sax.
Cythr. &
alii ad hunc
ann.*

Magdebur-
gū à Mau-
ritio obli-
detur.

fiones quoquo pacto sopiendas, priusquam Tridentum Theologi Lutherani mitterentur. Melanchthon tamen, alijque circumspetiores consilium illud minimè probabant; cum quod Cæsar huiusmodi conuentus ad perturbandam Reip. tranquillitatem pertinere arbitrabatur; tum verò, quod non ignorabant, eius generis esse domesticas concertationes, vt de ijs componendis frustra deliberationem susciperent. Obtinuerunt tamen V Vittenbergici demum, vt quod Melanchthonem confecisse diximus scriptum, perlegendum illis exhiberetur. Nò diu post V Vittenbergæ, quemadmodum Lipsiæ pridem, habitus est conuentus, in quo reliquis istarum partium concionatoribus propolitū fuit hoc ipsum scriptum Melanchthonis; cumque & isthic præsentium assensu probatum esset, placuit, vt sub titulo repetitæ Cōfessionis Augustanæ typis proCUSUM in vulgus emitteretur: Quemadmodum & alter ille tractatus, quem à Brentio conscriptum supra diximus, à legatorum reditu diuulgatus fuit.

Obsidebatur per hoc tempus Magdeburgum, vrbs Saxonix ad Albim sita, quam Mauritius Elector oppugnabat mandatu Cæsaris, quod magistratus illius ciuitatis & incolæ Augustano decreto parere recusarent, per Flacium Illyricum, Ambsdorsium, aliosque tribunitios istius factionis concionatores ad rebellandum incitatis:

Erat

Erat hæc ciuitas nidus Flacianorum præcipuus; è quo magno numero prouolabant feditiosi tractatus, picturæ, famosiq̃ue libelli, quibus in Cæsarem, in Mauritium ipsum, aliosque moderatiores Lutheranæ professionis principes vulgus & multitudo promiscua concitabatur: Quam ob causam ciuitas illa tandem ductu Mauritij ab exercitu Imperij nomine circumfessa fuit & oppugnata. Quanquam verò Mauritius oderat inquietos & turbulentos id genus homines; tamen quia iam tum alijs cogitationibus intentus erat, paulò remissius, quam pro Cæsaris Imperijque dignitate, bellum illud administrabatur.

Interea Calendis Septembris rursus instaurata fuit Tridentina Synodus, & principes admoniti, vt suos isthuc mitterent: Quibus idoneè cautum fuit non per Cæsarem modo, sed & per Synodum ipsam, ne quam tergiuersandi causam haberent. Mauritius igitur tanetsi iam bellum meditabatur in Cæsarem, quo Synodum indubitatus turbendam nouerat; dissimulato tamen Consilio, quosdam e suis designauit, qui Tridentinum profecti Concilio interessent. Horum primus fuit Melanchthon, quem huius rei gratia sub finem anni 1551. VVittenbergâ per litteras euocauit; ne scilicet omnino ignarus esset secretarum machinationũ, quas ad opprimendum inopinatò Cæsarem, & turbendam Synodum animo coquebat. Melanch-

ANNO
1550.
Nidus Flacianorum.

II.
Principes monentur de mittendis legatis ad Concilium.

ANNO 1551.
Delecti Lutheranorũ ad Concilium.

ANNO
1551.
Mauritius
dissimula-
tio.

*Mel. tom. 2.
ep. p. 246.*

*Camer. in
vita Mel.
pag. 319.*

Melanch-
thon cum
socijs ad
iter se cõ-
parat.

Noribergæ
subsistunt.

*In ep. ad
Cam. p. 656.*

lanchthoni socios adiunxit Erasmus Sarce-
rium, & Valentinum quendam Pacæum, Lu-
theranæ sectæ Theologos. Vt vero duceret
tempus, & non minus Patribus Tridentinis,
quam Cæsari glaucomã obijceret, duos pri-
dem Tridentum miserat è Consiliarijs, quo-
rum alter Leonardus Padhornus Iurecon-
sultus erat. Hi scriptum Melanchthonis, de
quo iam ante diximus, velut Symbolum cõ-
fessionis Saxonicæ, detulerunt secũ in Con-
cilio Patribus exhibendum: Quanquam cũ
in confessu verba facerent, scriptum hoc re-
tinuerunt; quod an consulto factum sit, an
vero casu, non satis est compertum. Inte-
rim Mauritius ne serio non agere videretur,
Melanchthoni, duobusq; socijs mandauit, vt
se darent itineri; quanquam additum fuit, vt
Augustam vsque progressi subsisterent, do-
nec quid porro vellet fieri princeps per lit-
teras significaret. Illi verò, qui secretas prin-
cipis machinationes non ignorabant, Nori-
bergæ potius subsistendum censuerunt, loco
nimirum viciniore, & periculis minus expo-
sito. Quã de re Melanchthõ ad Camerarium
scribens, Nos, inquit, Noribergæ adhuc ex-
pectamus litteras, vel aulicas, vel padhornia-
nas. Scripsi enim ad aulam, & ad Padhornũ,
vt nobis significant, quid fieri velint. Quæ
stultitia esset, progredi ad Synodum, moto
bello, & inter arma disputare? Quã de re &
in aula antea ostendi, quid mihi videretur.
Augustã eo non properauimus, quia in tanta
male-

maledicentia & vanitate hominū locus ille, ANNO
 vbi de religione plus est dissensionum, plus 1551.
 flabellarū peperisset. Hic nihil fuit conten-
 tionum cum vllō. Et aliquantulum conti-
 cescunt sermones de hyperborei Oratoris
 (Osiandrum dicit) ὑψαλχορῆα. Haecenus
 Melanchthon. Interim qui Tridentū præ-
 cesserāt, legati principis huiusmodi cōditio-
 nes Patribus proposuerunt, quib. Melanch-
 thonē dicebant, & socios ad Concilium mit-
 tendos, vt eas probari nec posse nec debere
 satis haberent perspectum: Itaque in actione
 hac temporis extrahendi gratiā lusisse po-
 tius, quam rem seriā egisse videntur.

Postularunt siquidem, vt quiescerent ab
 actione Patres, nec progredierentur, donec
 venirent, quos supra diximus per Mauritium
 designatos; vt quæ hæcenus definita sint,
 habeantur irrita; & vbi Tridentum vene-
 rint Mauritanii, superiora omnia retracten-
 tur; vt Concilium celebretur, ad quod om-
 nes nationes & populi cōueniant; vt in eo
 non præsit Romanus Pontifex, sed subdere
 se Concilio compellatur; vt Episcopis iufiu-
 randum remittat, quo deuincti sunt Ecclesie
 Sediq; Romanæ. De his capitibus responde-
 ri sibi postulabant, & quidem sine longiore
 morā. Theologos enim, dicebant, esse in via
 Tridentum versus, iamque ad quadraginta
 pene milliaria processisse. Hæc in priuato
 quorundam consessu per Mauritanios vn-
 decimo Ianuar. proposita fuerunt anno 1552.

ANNO 1552
 Conditio-
 nes à Lu-
 theranis
 propositæ
 ridiculæ.

Camer. in
 Melancht.
 pag. 320.

Cæte-

ANNO
1552.
Creden-
tiales Mau-
ritij offe-
rendæ Cō-
cilio Tri-
dentino.
*Cam. in
vit. Mel.
in fine.*

Cæterum Mauritius cum Melanchthonem eiusque socios ab se dimitteret, litteras illis dedit ab ipso Melanchthone compositas, ad Synodum Tridentinam, (credentiales vulgò nominant) quas hoc loco duximus inferendas.

Reuerendissimi Domini, & Reuerendi Patres: cum Cæsarea Maiestas, Dominus noster clementissimus voluerit, vt ex ecclesijs nostræ ditionis aliqui ad Synodum mitterentur, nolimus eius voluntati deesse: præsertim, cum & nos optemus veritatem illustrari propter gloriam Dei, & piam ac perpetuam in Ecclesiam totius orbis terrarum concordiam constitui. Quæ duæ res omnibus hominibus maximè expetendæ sunt; præcipuè vero ijs, quibus Deus gubernationem commendauit. Misimus igitur ad Synodum hos tres viros, Erasmus Sarcerium, Valentinum Pacæum, & Philippum Melanchthonem, quorum & mores honestos esse, & studium pacis & publicæ concordie prædicari intelligimus. Hos vt benignè audiatis publicè exponentes, quid de omnibus controuersijs communi consensu ecclesie nostræ doceant, petimus. Ipsis etiam mandata dedimus, vt piè, placidè, & sine priuatis affectibus recitent & declarent doctrinam, quam existimant vniuersæ Ecclesie necessariam. Scitis autem pro vestra excellenti sapientia, hos vestros confessus intueri Deum iudicem, & vniuersam Ecclesiam in cælo & in ter-

ANNO
1552.

Itineri se
accingit.

*Camerar in
vita Mel:
pag. 322.*

Melanch-
thonem
reuocat.
*Sleid. Sur.
Chytr.
Augustam
capit.*

Concilium
Tridenti-
num dissi-
patur.

Cæsar in
Italiam va-
dit.

farem, qui tum OEnoponti morabatur: in qua ciuitate per suos hospitium sibi parari iussit; ne quisquam de fide ipsius & affectu in Cæsarem dubitaret. Imo tandem initio anni 1552. in viam se dedit cum honesto comitatu, velut ad Cæsarem profecturus: verum cum aliquouſque processisset, itinere conuerso, redijt inopinato domum, & Melanchthonem cum socijs, qui non ignari machinationum istarum Noribergæ mandata principis expectabant, exeunte februario reuocauit. Atque tum demum prodere coepit mentis arcanum, & delectus militum habuit. Tanto vero astu rem hanc antea texit, tantaque celeritate postmodum vsus est, vbi palam agere coepit, vt famam anteuerteret aduentu suo, eductoque exercitu Calendis Aprilis Augustam Vindelicorum obsideret; quam tertio die post deditam occupauit.

Huius rei fama cum OEnipontem delata esset ad Cæsarem, & ad Patres, qui Tridenti conuenerant, ingens est vtrobique exorta trepidatio: atque ita Concilium denuo dissipatum fuit, Patribus ingruentis belli metu dilapsis. Cæsar autem, vt excitatam inopinato procellam declinaret, Saxone atque Landgrauio, quos quadriennio iam & amplius in vinculis habuerat, prius libertati restitutis in Italiam profectus est. Interim bellum hoc, quod propter Mauritij vehementes impetus & Gallix Regis potentiam, qui con-

confœderatus vindicem se profitebatur germanicæ libertatis, atrox futurum putabatur, 1552. post paucos menses sopitum est. Gallus enim tribus Episcopatibus ab Imperio detruncatis, Verdunensi, Tullensi & Metensi, quasi præclarum se Germaniæ vindicem præstitisset, exercitum reduxit. Mauritius vero, cum Landgravium focerum è vinculis dimissum intelligeret (nam de Saxoniæ cognato non admodum laborabat) quasi iam factus voti compos non inuitus ad pacis cõfilia descendit.

ANNO
Episcopatum Lotharingiæ ad Gallum defectio.

Transactio Mauritiij cum Cæsareanis.

Conuenerunt itaq; Passauij Ferdinandus Rex alijq; principes, quorum industria res inter Cæsarem & fœderatos circa medium Iulij transactione quadam composita fuit. Hac pacificatione publicata, quod secundo Augusti die conscriptis, subsignatisque diplomatis tandem factum est, Mauritius copias omnes, quibus ipse cum Imperio præfuit, Donauertum duxit, easq; secundo flumine misit in Vngariam, Ferdinando Regi militaturos contra Turcam.

Camer. ubi
supr. Sur.
Sleid. &c.

Eius exercitus in Vngariam proficiscitur.

Verum Albertus Brandenburgicus Casimiri Ansbachici filius, qui & ipse ex confœderatis erat, cum primum pacis intelligeret mentionem fieri, iam ante à fœderatis ad Vlmam discesserat cum exercitu, quem stipendijs gallicis conscriptum ducebat, & non Episcopos tantum Bambergensem & Herbipolensem; sed & Noribergenses magnis damnis affectos grauiter afflixit.

Albertus Borussiae Dux à pace alienus,

Camer. pag. 229.

ANNO
1552.

Eius Sæui-
tia.

Mauritij
mors ex
vulnere.

Iustum Dei
iudicium.

Camer. pag.
331.

Albertus
extorris.

Cæsaris
magnani-
mitas.

Concilium
Trident.
restauratur
& absolui-
tur.

IV.

flixit. Atque hæc principis illius sæuitia nouum in Germania peperit incendium; quod cum anno sequente 1553. Mauritius extinguere conaretur, in conflictu cum Alberto Germaniæ vastatore tormento manuario lethaliter vulneratus paulò post decessit. Ita factum est, vt qui fœdere coniuncti anno superiore proximo arma ceperant, ad opprimendum inopinato Cæsarem, & Synodum turbandam, ijdem ipsi nunc animis hostiliter diuulsi sese mutuis armis conficerent; scilicet vt secreto Dei iudicio illatam summo magistratui contumeliam alter in altero vindicaret. Quod dum faciunt, Mauritius quidem in ipso virilis ætatis robore globo læsus occubuit, vti diximus: Alter vero Albertus Brandenburgicus prælio superatus aufugit, & postquam ferro flammâq; in ipsis Germaniæ visceribus horrendum in modum sæuiisset, multumque haussisset innocentis sanguinis, tandem ditionibus suis eiectus, & profugus extorris, desertus ab omnibus in aliena regione vitam finiuit.

Interea Cæsar, vt erat heros inuictus, impetum hunc fœderatorum excelso infractoque animo sustinuit: & Tridentina Synodus, quam oppressam penitus, & in perpetuum dissipatam volebant isti, sublato Mauritio rursus coaluit, & tandem magno Ecclesiæ bono, freudentibus licet aduersarijs, feliciter absoluta fuit.

Verum hæc obiter per occasionem: Ad vitam

vitam Melanchthonis, quam scribimus, per-
 textendam oratio reuertatur: Qui cum insti-
 tutum sui principis nō ignoraret, sub finem
 Februarij mensis, vti supra diximus VVit-
 tenbergā reuersus est, in sinu gaudens, quod
 ab itinere Tridentino liberatus esset. Non
 multo post, quam Synodus Tridentina Lu-
 theranorum machinationibus dissipata fuit,
 pestis VVittenbergæ serpens & Lipsiæ, in v-
 traq; Vniuersitate cœtum academicum dis-
 sipauit. Melanchthon periculi vitandi cau-
 sa Torgam concessit multis eum comitanti-
 bus; quo loco tantisper commoratus fuit,
 donec VVittenbergæ non esset à contagio-
 ne periculum.

Anno sequente proximo, qui fuit à Chri-
 sto nato 1553. denuo vocatus est in Angli-
 am, idque Regis ipsius Eduardi Sexti litte-
 ris, quæ Maio mense scriptæ fuerunt. Id cō-
 silio factum est quorundam, qui, dum Rex
 puer esset, pro arbitratu Rempublicam ad-
 ministrabant: quorum facile primus erat
 Thomas Cranmerus, Archiepiscopus Can-
 tuariensis, hostis Catholicæ religionis, & o-
 mnium, qui eam profitebantur, acerrimus;
 cuius studio schisma, quo sese Henricus O-
 ctauus ab Ecclesia Romana præciderat, in
 hæresin Zvinglianam transformatum est,
 externæ cuiusdam hierarchiæ larua fraudu-
 lenter obuolutam. Quia vero Melanch-
 thon ecclesiasticam hierarchiam à multis an-
 nis retinendam, atque in huiusmodi nego-

ANNO
 1553.
 Melanch-
 thon VVir-
 tenbergam
 reuertit.
*Mel. tom. 2.
 epist. p. 258.
 Cam. in
 Vit. Mel.*
 Pestis Wit-
 tenbergæ
 grassatur.

ANNO 1553.
 Melanch-
 thon voca-
 tur in An-
 gliam.

Th. Cran-
 merus au-
 tor schis-
 matis An-
 glicani.

Causæ vo-
 cationis
 Melanch.

ANNO
1553.

tij magnum habebat vsum, quomodo nimirum nouitia dogmata plausibili rituum Catholicorum operimento velanda essent; hunc imprimis è Saxonia censuerunt in Angliam euocandum.

Eduardi
regis An-
glia mors.

Verum paulo post, quam ad Melanchthone litteræ peruenerunt, nempe sexto die Iulij, Rex Eduardus sedecim annorū puer, adolescentiam vix dum ingressus è viuis excessit.

Maria Ca-
tholica
succedit.

Post cuius mortem per Mariam Henrici Octaui filiam, Cæsaris è sorore Catharina neptem, religio Catholica per Angliam restituta fuit, & Regnum ipsum ad Romani Pontificis obedientiam reuocatum. Iam & in Saxonia triduo post, quam Eduardus decessit, nono die Iulij scilicet, Mauritius Elector globo tactus in conflictu vulnus accepit, ex quo biduo post mortuus est, vti iam ante diximus.

Mauritio
succedit
frater Au-
gustus.

V.

Cæterum quia non reliquit prolem masculam, Augustus frater ipsius, qui tum apud focerum Daniae regem morabatur, hæres Mauritij fuit, eique non in principatu modo, sed & in Electorali dignitate successit.

Io. Friderici
in recupera-
ndo Ele-
ctoratu &
eius ditio-
nibus.

Priusquam verò è Dania reuersus hæreditatis fraternæ possessionem adiit, Ioannes Fridericus missis legatis ad Ordines, Electoratum sibi, oblatasque possessiones restitui postulabat: Nec deerant inter subditos, qui animis istuc satis inclinarent. Interim Augustus sub initium Augusti redijt domum, & recum suis deliberata, subditos ditionum omnium,

mnium, quas frater moriens reliquerat, cer-
 tis conditionibus in fidem suam adegit. V-
 bi VVittenbergam venit, Theologos &
 Concionatores, à quibus populum pende-
 re non ignorabat, sibi putavit concilian-
 dos; quod & fratrem Mauritium initio fe-
 cisse meminerat. Eos igitur perhumaniter
 compellat & benigne, Melanchthonem im-
 primis, ad quem de tuenda religione, quam
 hætenus essent professi, commodos sermo-
 nes habuit, & ad permulcendum ipsius ani-
 mum idoneos; quos Melanchthon postmo-
 dum ad alios deprædicauit. Subsecuta est in-
 ter Ioannem Fridericum, & Augustum gra-
 uis admodum & multis difficultatibus im-
 pedita disceptatio. Daniæ Rex, cuius filiam
 Augustus habebat in matrimonio, generi
 sui causam per legatos diligenter egit, cu-
 ius autoritate post diurnam actionem eo-
 res tandem redacta fuit, vt Ioannes Frideri-
 cus cum filijs Electoratu non modo, sed
 & Misniæ, atque oppidis metallicis in per-
 petuum renunciaret. Quo negotio confe-
 cto ipse quidem anno 1554. sub initium
 Martij, cum aliquamdiu decubisset cathar-
 ro suffocatus obiit: Augustus vero pacifi-
 cam hæreditatis fraternæ possessionem est
 consecutus.

Eodem anno, quo sublatus est Mauritius,
 Melanchthon quendam ex intimis amisit,
 Georgium Anhaltinum, præpositum Mag-
 deburgensem, Dessauia mortuum ad deci-

ANNO
 1553.
 Augusti
 studium in
 deuiucien-
 dis cōcio-
 natoribus
 & præser-
 tim Me-
 lanchtho-
 ne.

Contro-
 uersia inter
 Io, Frede-
 ricum &
 Augustum
 Electoré.

Componi-
 tur.

ANNO 1554

Mors Ge-
 org. An-
 haltini.



ANNO 1554. mumoctauum Octobris; quo nullum ferè
discipulum habuit obsequentio- rem. Erat is

Eius stem-
ma.

Mancipiū
Melanch-
thonis.

Mors Iac.
Sturmij Ar-
gentinēsis.

ex insigni veterique principum Anhaltino-
rum familia natus, princeps humanus ad-
modum, probus, & ad modestiam à natu-
ra formatus; qui Melanchthonis ductum
exactè sequebatur in rebus omnibus, nec
ipso inconsulto, vel in negotijs exigui mo-
menti facere quicquam consueuerat. Ad-
ministrabat ante bellum germanicum velut
Episcopus dioccesim Merseburgensem in re-
bus ad sacra pertinentibus, Augusto Mau-
ritij fratre politicę gubernationis curam ge-
rente. Interim orationes, quas habebat in
Synodis, tum conciones ad populum maxi-
mam partem à Melanchthone præscriptas
recitabat: vt Melanchthon, quanquam is
nec sacris vnquam initiatus fuit apud Ca-
tholicos, nec Lutherano ritu ad Ecclesiasti-
cas functiones ordinatus, dioccesim istam per
hunc principem administrare videretur.
Consultationibus de libro Augustano Ge-
orgius per Mauritium rogatus interfuit, ceu
primi nominis inter Theologos; verum ad-
iunctus illi fuit præceptor Melanchthon,
qui suo nutu actiones illas omnes modera-
batur. Atque hunc ille mirificè coluit per
omnem vitam; & Melanchthon vicissim il-
lum amauit plurimum, dum in humanis es-
set, & ex illius morte non exiguum cœpit
dolorem: quem auxit obitus Iacobi Stur-
mij viri præstantis, & in Argentoratensi Re-
publi-

publica præcipui, cum quo multis annis Mel- ANNO
 lanchthoni necessitudo non vulgaris inter- 1554.
 cesserat; qui cum & in Comitibus quibusdam,
 ubi de religione suscepta fuit deliberatio,
 frequenter, & ob sententiarum conuenien-
 tiam non insuauiter fuerat collocutus. An-
 tecedebat ætate Melanchthonem annis fere
 septem; & totidem annis eundem antecessit,
 communem vniuersæ carnis viam ingressu-
 rus. Nam septennio post Anhaltinum &
 Sturmium Melanchthon rebus humanis ex-
 emptus est, vt suo loco referemus.

CAPVT XXII.

- I. *Mortuo Osiandro, exorta inter Lutheran-
 certamina. conuentus Naumburgi & scri-
 ptum. Melanchthon in Prusiam vocatur
 obseruans varia hoc tempore prodigia.*
- II. *Melanchthonis ad aulam acciti negotia, o-
 dium in Flacian. in Lautervvaltinum do-
 gma & Osiandrin. eiusq; acta in disputa-
 tione Norimberg.*
- III. *Pax religionis per Imperium. Flacian. &
 Melanchthonic. dissidia.*
- IV. *Melanchthonic. & Flacian. conuentus, o-
 dia, certamina, eorumq; causæ & origines
 ad longum.*

OBIT anno superiore proximo Re- I.
 giomonte Andreas Osiander, noui do- Mors O-
 gmatis inuentor de iustificatione, quemad- siandri.
 modum supra diximus. At hæresis cum illo
 mortua non est: Imo post autoris obitū vi-

ANNO
1554.
Osiandri
norum in
disputan-
vehemen-
tia.

Cam. pag.
336.

Eius culpa
in Witten-
bergenfes
reicta.

Mel. ep. ad
Cam. p. 626

Naumbur-
gum con-
uentus in-
dicitur.

res fumpfit & incrementa; non in Borussia tantum, vbi princeps Albertus patrocinium præstabat Osiandrinis, sed & in Germania. Disputabatur studio partium non modo vehementer, sed & alicubi tumultuosè: Cæterum quod in eam audaciam Osiandri- ni proruperunt, vt liberius propugnarent nouum illud dogma, & contra Luthera- nos effrenatius insurgerent, id nonnulli VVittenbergenfium culpa factū afferebant; quos sub initium, priusquam error hic in pu- blicum prodiret, nō consideratè fatis & pru- denter ad interrogata quædam respondiſſe dicebant, & hæreseos autori plusculum con- ceſſiſſe: quem si paulò feuerius infrenarint atq; reſpreſſerint, caueri potuiſſe, ne malum illud in tantam ſe diffunderet amplitudinē. His ſpargendis Melanchthonem notabant imprimis, à quo conſtat Osiandrum initio paulo mollius habitum, vti ſupra diximus. Quæ cauſa fuit, vt cum poſtmodum in pu- gnam eſſet prodeundum, paulo timidius, & plane reſtitantis inſtar in aduerſarium tela torqueret. Nunc vero cum malum ſerpiſſet longius, & paſſim incrementa ſumpſiſſet, viſum fuit anno ſequente 1554. vt ad ſedan- dos motus domeſticos, maximè vero ad ſo- piendum diſſidium, quod in Borussia per Osiandrum erat excitatum, Naumburgi Sy- nodus haberetur: ad quam ex pleriq; Ger- maniaꝝ prouinciis Lutherani doctiores con- uocati fuerunt.

Dis

Displicuit institutum hoc Melanchthoni, quod metueret, ne Flacius Illyricus istuc accederet, aliique factionis istius rigidiores Lutherani, quos vehementer oderat: quam rem ad amicos non dissimulavit. Proficiscendum tamen fuit ad Synodum hanc, quia novus Elector Augustus ita voluit mandavitque. Venit itaque mense Maio Naumburgum, Ioanne Forstero Theologo Lutherano Hebraicæ linguæ professore comitatus. Lipsiâ venit Alexander Mesijs Scotus, charus imprimis Melanchthoni: ex Hassia Adamus Crafftus; alij aliunde. Argentoratenses Ioannem Sleidanum miserunt, historiæ scriptorem, hominẽ sacramentarium. Misit & VVirtenbergicus Princeps quosdã, qui cum Gotham vsque peruenissent, quod est Thuringiæ oppidum, regressi domum reverterunt, incertum quam ob causam; nisi quod forte reuocarentur à principe, vel ipsi de dissidiis Lutheranorum componendis desperarent; vel quod Osiandrum forsan intelligerent in ea conuentione damnandum; cui Brentius secreto patrocinebatur: Vbi Naumburgum cæteri conuenerunt, res tentata quidem fuit; sed euentus conatui nõ respondit. Confarcinarunt scriptum quoddã, in quo breuiter tractata fuerunt ea, de quibus tum maximè controuersabatur. Hoc chartaceo glutine dissidentium animos coniungere nitebantur. Verum nihil effectum est, fuitque conatus hic omnis frustra.

ANNO 1554.
Melanchthon. trepidatio.
Eius aduentus Naumburgum.
Camer. pag. 338.
Item Mesijs Crafft. Io. Sleidani historici.

Brentius Osiandri affecla.
Scriptum Naumburgicum.
In ep. ad Cam. p. 686.



ANNO
1554.
Melanch-
thon in
Prussiam
euocatur.

Vocauit eodem anno Melanchthonem Borussiae Dux Albertus, Osiandrini certaminis gratia: cumq; ille non veniret, idem princeps Augustum Electorem nouum per litteras interpellat, rogatq; ne per suos Osiandrini dogmatis in concionibus scriptisq; publicis odiosam deinceps mentionem fieri patiatur.

Prodigia.

Nunciata sunt hoc tempore multa prodigia, quae Melanchthonem non parum teruerunt. Coelum in Silesia visum ardere: exercitus alicubi conspecti fuerunt in aere, velut parati ad conflictum; pluit multis locis sanguine: Ad Ansbachium in Franconia vir supra Solem apparuit, effundens cruorem in Solem ipsum, & in aquilam conantem altius volare, & in virum astantem equo. Haud procul VVittenberga ceruus apparuit in excelsio monte, è regione Sol cruentus per medium visus diuidi, partesq; eius dilabi ad diuersa loca; & postea exercituum dimicantium species visa: In oppido Thuringiae, quod Nebram vocant, puellam natam aiunt, quam flamma ex vtero materno erumpens, interemerit.

In ep. ad
Cam. p. 339.

II.
Melanch-
thon ad
aulam vo-
catur.
Tria capi-
ta delibe-
rationis.

Eodem anno Melanchthon cum quibusdam alijs ab Electore vocatus est ad aulam, vbi tria quaedam illis ad deliberandum proposita fuerunt; de instituenda nimirum Visitatione, de Consistorijs; & de Scholae Misenenensis augmento. Ad Vi-
sita.

sitationem quod attinet, de eius forma mo- ANNO
doque Melanchthon quædam commentari 1554.
iussus, confecit scriptum; quod in confesso
lectum fuit, & præsentium assensu compro-
batum. Quanquam ipse ab huiusmodi ne-
gotio totus erat alienus; quod non ignora-
ret, Flacianos passim inter pastores inueniri,
quos ut odio satis acerbè prosequeretur, ita
vicissim ab ijs, velut hostibus suis acerbissi-
mis vehementer sibi metuebat. Fugit itaque
congressum illorum, quantum potuit, nec
quicquam cum illis habere voluit commu-
ne. Cum verò sub initium anni sequentis Ann. 1555.
virgeretur, imposita fuit illi necessitas, ut
iret: Quanquam fecit hoc inuitus, & repu-
gnante genio, nihil dubitans, quin nouum
sibi crearet negotium, & crabrones Flacia-
nos irritaret. Qua de re mentis arcanum pro-
dit ad amicum quendam ex intimis: Cohor- Ibid. p. 688.
resco, inquit, cogitans de illa toties flagitata
inspectione, de qua accidit nobis, quod dici-
tur: ἀνδρὶ λυδοῦ οὐκ ἦν πραγματα, ἀλλ' αὐ-
τός ἐξελθὼν ἐπείατω. Homini Lydo non e-
rant negotia; at ille egressus hæc est merca- In ep. sel.
tus. Hæc Melanchthon ad Camerarium pri- pag. 424.
die Idus Ianuarij.

Erat in Pannoniâ quidam inter Luthera-
nos concionatores, Matthias Lautervvaldt
(Holylum græco nomine Melanchthon ap-
pellat) qui dissidere cœpit à reliquis in do-
ctrinâ de Iustificatione: Quanquam interim
nec Osiandri, nec Stancari sententiâ seque-
batur.

Melanch.
odium er-
ga Flacia-
nos.

Ann. 1555.

Ibid. p. 688.

In ep. sel.

pag. 424.

Matthiæ

Lauter-
vvaldt do-
gma.

ANNO
1555.

Axioma
Luth. de
iustifica-
tione, clo-
aca Anti-
christi.

A Melāch-
thone exa-
gitatur.

In epist. ad
Cam. p. 690

Fœcundi-
tas hære-
sum inter
Lutheran.

batur. Asserebat veram contritionem, & re-
nouationem spiritus, adeoque nouam obe-
dientiam ad iustificationem hominis requi-
ri: Axioma verò Lutheranum, quo dicitur
hominem iustificari sola fide, non repudia-
bat modo, ceu falsum, sed & contumelio-
sis vocibus explodebat, cloacam appellans
Antichristi. Erat is homo felici quidem ar-
gutoque ingenio, sed pugnaci: cumque sen-
tentiam suam in ciuitate Eperienti publicè
profiteretur, à vicinis quibusdam concio-
natoribus reclamatum fuit: quæstio verò
ipsa, de qua disputabatur, ad VVittenber-
gensis academię iudiciū reiecta: Cuius no-
mine Melanchthon hoc anno breue confe-
cit scriptum; in quo sententiam Holyti da-
mnat velut repugnantem doctrinæ VVit-
tenbergensium, & à monachorum corrup-
telis, vt loquitur, (à doctrina Catholicorū)
re ipsa nihil differentem: autorem verò, ni-
si resipiscat, per Senatū Eperientem de-
cernit ab euangelico ministerio remouen-
dum. Ita censuit Melanchthon; qui vt vi-
uentem Holytum oderat, ita paulò post
mortuum venenato sarcasmo profecutus est,
Matthias Holytus, inquit, nuper mortuus,
” fortassis iam in cymba cum Charonte dis-
” putat.

Cæterum huiusmodi controuersię plu-
res per hoc tempus inter Lutheranos passim
suppullularunt; vt fit, adeoque fieri necesse
est inter eos, qui contempta Ecclesiæ vete-
ris

ris autoritate, ruptisque obedientiæ vinculis genij sui Sathanæque ductum sequuntur. ANNO 1555.

Non de ijs loquimur disceptationibus intestinis, quas Adiaphoristæ, Flaciani, Maioristæ, Osiandrini, Synergistæ, Stancariani scriptis aduersarijs publicè fouebant; sed de disputationibus quibusdam alijs concionatorum petulantia passim emergentibus, quas Melanchthon in fomite scintillantes extinguere conatus est, priusquam in publicum incendium erumperent: Cuius generis fuerunt controuersæ, quæ in Academiâ Pomeranica, in ciuitate Gottingensi, Northusana, Ratisbonensi, Stetinenfi & alibi per concionatores excitatæ sunt, quas politici ciuitatum magistratus ad Melanchthonis iudicium retulerunt. Ea verò res summas illi molestias magnosque labores peperit; non raro etiam odium atque inuidiam conciliauit.

Molestiarū
Melanchth.
acerbitas.

Itaque cum aliquando post multas huiusmodi scriptiones de quadâ, quæ Sterini mota erat controuersia iudicium suum perscripsisset, quasi tædio victus altercationum istarum ad Camerarium suum in hæc verba prorumpit: Non poeticæ carnificinæ apud inferos pares sunt meæ carnificinæ, qua excrucior scribendis disputationibus, legibus, præfationibus, epistolis.

In epist. ad
Cam. p. 702

Post Synodum Naumburgensem, in qua Melanchthonem cæterosque, qui conuenerant, de componendis Lutheranorum dissidijs intestinis frustra laborasse diximus,

Osiand-

ANNO

1555.

Dogma Osiandri recrudescit Noribergæ.

Certamen vtriusque partis vehemens.

Melancht. Noribergã venit, ratione certaminis.

Cõsil. Theolog. Mel. pag. 208.

Brentius consulto renuit venire Noribergam.

Osiandrinum certamen Noribergæ cum primis vehementer recruduit. Vixerat in hac vrbe multis annis Osiander, priusquam in Borussiam aufugeret, & semē hæreseos quorundam animis inseruerat, qui præceptoris iam mortui sententiam magna contentione, summoque cum feruore tuebantur. Nec deerant è Lutheranis, qui se fortiter illis objicerent. Atque hæc contentio in tantum ardorem efferbuit, vt ad gladiatorum morem inter se dimicare viderentur: Quam pugnam cum Senatus in Republica sua nequaquam diutius ferendam putaret, Melanchthonem aliosque nonnullos, quorum erat inter Lutheranos insignis autoritas, Noribergam euocat, vt disidentes concionatores ad concordiam redigerent, sopirentque foedum illud certamen. Venit istuc Melanchthon Augusti principis Electoris permissu; qui & ipse sopiendi disidij erat cupidissimus. Adduxit secum Alexandrum Alesium Scotum, & Ioachimum Camerarium, academiae Lipliensis professores; tum Iacobum quendam Rungium Pomeranum, qui tum fortè domi ipsius hospitabatur. Expectatus fuit & Ioannes Brentius: Verū is excusauit sese datis litteris, quibus de controuersia mentem suam exposuit.

Fauebat Osiandro Brentius; quem affectum biennio post in Colloquio VVormatiensi non obscuris indicijs declarauit; vt infra dicemus. Itaq; cõsulto abstinuisse videtur ab hoc

ab hoc conuentu, ne vel offendere Melanchthonem, vel Osiandrum non tueri cogeretur: Alterutrum enim in illo congressu faciendum videbat. Vbi Melanchthon cum socijs Norinbergam venit, actum est cum concionatoribus, & prolixè varieg; disputatum de Iustificatione; nec vna fuit omnium sententia. Inuentus inter concionatores senex quidam, qui Christum asserbat iustificare per accidens.

Post multam disceptationem Melanchthon more suo scriptum cōfecit stilo ad eum modum temperato, vt Osiandrinis verbis acrioribus non irritaret; vt erat molliendi sermonis stiliq; cum vellet ad lenitatem temperandi magnus artifex. In hoc scripto suam & V Vittenbergensium sententiam exposuit de iustificatione, quam contra Osiandrum pridem defenderat; & argumenta partis aduersæ diluit. Deinde concionatoribus mandatum fuit à Senatu, vt probarent scriptum hoc, & assentum subiectis nominibus testarentur. Paruerunt plerique: Duo tamen ex Osiandrinis concionatoribus, qui se profitebantur à sententia non discessuros, detrectarunt subscribere: quam ob causam solum vertere iussi Norinbergâ discesserunt. Itaq; Melanchthon præsidio magistratus politici de reliquijs Osiandrinis in ea ciuitate triumphauit, is ipse, quem Osiander, dum viueret, ante paucos annos miserandum in modum protriuerat & conculcarat.

ANNO
1555.

Disputatio
Theologorum
Norinbergæ.

Melanchthon
scriptum
cudit.

Ei subscribitur.

Hæc

ANNO

1555.

III.

Pax Reli-
gionis per
Imperium.*Cam. in v.**Mel. p. 351.*Flacianorū
machinæ
in Meläch-
thonem.*Cōsil. theol.
10. 2. p. 257.*

Ioan. Frid.

Saxo man-

cipium

Flacij.

Flaciani
Synodum
flagitant.Ad castigā-
dos Mc-
lanchtho-
nicos.

Hæc acta fuerunt Norinbergæ ann. 1555: quo eodem in Comitijs Augustanis factum est decretum illud, quo pax per Imperium certis conditionibus inter Catholicos & Lutheranæ professionis Ordines sancita fuit, quam Pacem religionis appellamus. Vbi domum redijt Melanchthon, sæua denuò tempestas per Flacianos in ipsum concitata fuit. Erant hi proximis annis facti potētiores, nec vulgus modo partibus suis habebant additum, sed & principum quorundam animos fraudulenter occuparant: Quæ res Spiritus illis maiores addidit, fecitq; ad quiduis molliendum audaciores. Ioannes Fridericus Saxonix Dux, quem Cæsar electorali dignitate spoliatum de gradu deiecit, huic factioni vehementer erat addictus. Itaq; cum libertati restitutus ad filios redijisset; quod an. 1553. factum diximus, patrociniū Flacianis deinceps præstitit; cuius iudicium multorum animos illis conciliauit. Tantus verò principis illius affectus erat in huius farinae Lutheranos, vt decumbens an. 1554. quo mortuus est, Nicolaum Ambsdorffium, qui post Flacium inter huius sectæ coryphæos præcipuus erat euocaret, ab eoq; viam sibi demonstrari vellet in extremis, cum esset è corpore migrandū. Audaciores igitur facti Flaciani Synodū flagitabant, in qua Melächthonem cæterosq; molliores Lutheranos, qui sese in consultationibus de libro Augustano paulò moderatiores exhibuerāt, ad césuram reuocatos in ordinē redi-

redigerent: Quæ causâ fuit cur Melanchthon ad eum modû cõtemisceret ad synodî mentionē, & Flaciû eiusq; gregales odio perquã acerbo prosequeretur. Illi vero magnis importunisq; clamoribus vrgebant Synodû, ad quã conuocari volebãt oēs, qui cõfessionem Augustanã, vel doctrinã à Luthero traditam profitebãtur. Ab his verò Synodicã cõsoria- que autoritate cõtrouersiã aiebãt discutiendã, quæ inter Melãchthonem & Flacium agitabatur, & sententiam auditis vtriusq; rationibus pronuntiandam: Quod si fieret, Flaciani de Melãchthonicis Adiaphoristis certam victoriam magna cû fiducia sibi pollicebãtur.

Actum verò fuit hoc negotium non apud eos modo principes, qui Flacium eiusq; gregales tuebantur, sed & apud Augustum Electorem Saxonie, qui licet magni faciebat Melanchthonem, non alienus tamen ab indicendã huiusmodi Synodo videbatur; vt semper princeps ille pacis atque concordie fuit amantissimus; cumque eam inter Lutheranos per Synodum inlaurari posse desperaret, rem per colloquia paucorum sequentibus annis tentandam censuit. Verum cum nec ista via negotium succederet, tandem scribendæ concordie, perque Germaniam circumferendæ consultor fuit: Quod consilium quomodo cesserit, posteriorum temporum historia testatur.

Interea terruit Melãchthonem Flaciano- rû ardor, Synodam tanto studio flagitantium: Ideoq;

Varia prin-
cipum Lu-
theranorû
consilia in
sedandis
tumultib⁹
doctrinæ
suæ.

IV.
Melãchth.
conatur
Synodum
dissuadere.

ANNO
1555.

Ideoq̄ue tergiuerfatus est, quantum potuit, & negotium iniectâ morâ suspendit. Atque id dissimulanter quidem. Neque enim quod Synodi iudicium defugeret, publicè fuit ausus profiteri: Quanquam rogatus aliquando sententiam, an scilicet conuocandam censeret Synodum ad quam docētes in Saxonis

*In epist. ad
Cam. p. 679*

alijſque Lutheranorum ecclesijs omnes conuenirent, apertè disſuaſit; quod hæc ipſius verba teſtantur: In aulâ deliberationes ſunt,

” inquit, ἐπιſύνοδος πάντων διδάſκαλων ἐν ſαξο-

” νικαῖς καὶ ἄλλαις ἐκκληſίαις ſυγκροτητέα! An

” Synodus omnium docentium in Saxonis

” & alijs Eccleſijs conuocanda ſit? Idq̄ue petit

” dux Charitinarum & Palatini; & arbitror

” τὸν λάſκιον autorem eſſe huius conſilij. Ego

*In epist. ad
Cam. p. 712*

Laconicum illud ὅν reſpōdi. Hæc Melanchthon non ignorans de capite ſuo futura comitia, ſi coiret Synodus. Interea Flacianiferuebant, adeoq̄ue æſtuabant in hoc negotium, & quos in manibus habebant principes, in eam partem incitabant. Cumq̄ue rem

Ann. 1556.
Conuent^o
Flaciano-
rum.

viderent diutius extrahi, quam ferret ipſorum ardor ſummumq̄ue deſiderium, ipſi cōuentum habuerunt, ijs tantum vocatis, qui contra Melanchthonem eiſque ſocios Flacium ducem ſequebantur.

*Ibid. p. 700
Melancht.
opinio.*

Innotuit hoc ſtatim Melanchthoni, qui nutus & actiones iſtius omnes lynceis oculis obſeruabat; nec quid de hoc conuentu opinaretur, ad ſuos diſſimulauit. Dū aulæ de Synodis deliberant, inquit, iam συνεκροτήθῃ βλα-

βλακική σύνοδος, coacta est Flacica Synodus: ANNO
 In qua, quid decretum sit, nondum scio, nec 1556.
 curiosè inquirō. Existimo enim κεφάλαιον
 τιμωνικῶν caput timonicum esse: Quicquid
 agent alij, cōiurabunt se turbaturos esse; nec
 tamen de vlla re magna differēt, sed de li-
 centia vulgi amplificanda excitabunt κροτο-
 δορύβους, plausibiles tumultus. Hæc tristis-
 sima confusio Ecclesiæ tantum mihi dolo-
 rem affert, vt libenter ex hac vita discessurus
 sim: Ac video me non procul à meta abesse.
 Perferuntur ad me etiam atroces sermones
 magnatum quorundam, qui etsi à Sycophā-
 tis incenduntur, tamen suo fortasse etiam o-
 dio ardent.

Hæc Melanchthon 7. Februarij an. 1556. Melanchth.
 ad Camerarium. Ne verò Flaciani vel mi- monetur
 nus humani viderentur in præceptores suos, de resipi-
 vel erga illos parum grati, Melanchthoni scentia à
 velut in errorem prolapsō gratiam offere- Flacianis.
 bant & reconciliationem, si modo respice-
 ret, seque deliquisse grauitè ex ipsorum
 præscripto fateretur. Et Flacius quidem, vt
 Melanchthonem ad pœnitentiam adduce-
 ret, postulauit colloquium, accessitque pro-
 prius, & Cosvvicum eum euocauit; quod est
 oppidum Saxonix non procul V Vittenber-
 ga distans. Ille verò cum Flacio solus in col-
 loquium venire recusauit; quod homini pa-
 rum fideret, eumque putaret occasionem ca-
 ptare, vt post collationem hanc nouas thea-
 tro suo fabellas venditaret. Ventum tamen
 y est ad

Cosvvicū
 à Flacio e-
 uocatur, ad
 priuatum
 congressū.

ANNO

1556.

*Schlusselb.
in catal. ha-
ret. li. 13.*

est ad colloquium, cuius acta postmodum typis diuulgata fuerunt. Interim nihil effectum est; nisi quod Flacius eiusque gregales in Melanchthonem & reliquos Adiaphoristas euangelij desertores, vt loquebantur, grauius exarserunt.

Ad disputationem publicam inuitatur.

*In epist. ad
Cam. pag.
708.*

Cum hac via nihil efficerent, ad publicam disputationem prouocarunt; a qua Melanchthon propter iniquas conditiones à Flacianis propositas, vt dicebat, non minus, quam à Synodo abhorruit. Imò fractus animo elanguit, cum hoc dirimendae controversiae medium aduersarij proponerent; quod hæc ipsius ad Camerarium verba testantur: *Languefacit me cupientem vobiscum proficisci metus disputationum περί δι-
αλαγῆς* cum Polyphemi filijs (Flacianis) qui eas mihi leges ferunt, quas Deo iuuantem non accepturus essem, etiamsi in latomias eundum esset. Non recusò ex hac regione discedere, quandocunq̃ Deus volet &c.

Cum suis exagitur à Flacianis.

Igitur cum Flaciani se reijci viderent atque contemni, quascunq̃ demum proponerent dissidij componendi rationes, ad arma denuò conclamatum fuit in Melanchthonem, & Melanchthonicos Adiaphoristas, Interimistas, Maioristas, Synergistas; in quos Flaciani calamo simul & lingua vehementer debachati sunt, eosque plaustris conuitorum obruerunt: Nec aliter cum illis actum fuit, ac si fide penitus abnegata causam

causam euangelij prodidissent, & portenta
nebulonum essent in vltimas terras depor-
tanda. ANNŌ
1556.

Ominatus hanc tempestatem fuerat Me-
lanchthon sub initium huius anni, quem ob
domesticas concionatorum rixas atq; cōten-
tiones infaustum omninō futurum prēdixe-
rat. Ego, inquit, & magnos principum mo-
tus, & docentium rabiem maiorem metuo:
Nec solum positu astrorum moueor, sed et-
iam ipsis παρασκευῆς. Hæc Melanchthon:
Quem hanc ob causam potissimum Flaciani
tam crudeliter flagellabant, & acerbis cri-
minationibus insectabantur, quod an. 1548.
& 1549. consultationibus interfuit de libro
Augustano per Mauritium institutis, quas
isti nihil aliud, quam defectionem ab euan-
gelio, & papatus, vt loquuntur, restitutio-
nem integram fuisse clamitabant. Id Fla-
cius odiosè passim inculcat, & prolixo qui-
dem verborum ambitu, eadem frequenter
repetens ad fastidium vsque. Vt vero pro-
bet, quod de restitutione papatus asserit, va-
rijs ad persuadendum rationibus vtitur; qua-
rum nonnullas, & præcipuas quidem subiū-
gimus ex ipsius libello depromptas, quem
Narrationem actionum certaminumq; suo-
rum inscribit.

*In epist. ad
Cam. p. 698*

“
“
“
“

*Causæ
odij.*

*Variæ ra-
tiones Fla-
cij de resti-
tuto papa-
tu.*

Principio religionis articulos omnes in
actionibus per Mauritium institutis, cum E-
piscopis Catholicis tandem cōciliatos fuisse
dicit, Canone tantum excepto; Neque verò

Ls

γ 2

Episco-

ANNO
1556.

2.
Canones
quatuor
ex Misnica
actione
collecti.
1.

Episcopus Theologis Lutheranis, sed hos illis in omnibus dogmatibus celsisse; quemadmodum ex actione Gutterbocensi notum sit, tum ex Lipsiensi decreto, quod post varias deliberationes loco conclusionis promulgatum constat. Deinde quatuor Canones facit, ex ipso Misnicarum actionum progressu serieque formatos, ex quibus hoc ipsum dicit euidenter demonstrari posse. Primus est, cum Mauritius Ordinibus in conuentu proponeret libellum Augustanum, deque eo recipiendo mandatum Cæsaris adiungeret, Melanchthonem cæterosque sententiam rogatos respondisse, morem gerendum Cæsari, quantum eius fieri possit, atque ita agendum in hac causa, vt Cæsar intelligat, & innotescat publice, principem cum suis omnibus esse pacis atque concordiae & tranquillitatis amantem: nec se quidem hac in parte officio defuturos. Secundus Canon est, Restituendos esse ritus omnes vsitatos in Ecclesia veteri, quos hæctenus Catholici retinuerint. Tertius, Theologos, ait, in fine decreti vel Interim Lipsiensis polliceri, quod vnà cum Episcopis scrutari velint scripta Sanctorum Patrum, & ex eorum sententia negotium hoc transigere. Atque inde natam ait Ordinationem ecclesiasticam, totum chaos (vtor verbis Flacij) papisticorum rituum continentem, quæ concionatoribus anno 1549. in autumno Lipliam euocatis prælecta fuerit.

rit. Quartus Canon est, Episcopus Lipsiæ de recipiendo decreto interpellatos respondisse, imò publicè protestatos esse, se decretum illud & declarationem Ordinum in eam partem accipere, quod obtemperare velint Cæsari, & librum Augustanum recipere; quodque ea, quæ in decreto Lipsienti breuiter & obscurè dicta sint, iuxta librum Augustanum sint declaranda.

ANNO
1556.
4.

Hos quatuor Canones ex actis publicis formatos, velut axiomata Flacius ponit, ex quibus hanc infert conclusionem, quam ipse verbis eloquar: Hæ quatuor regulæ totum papatum, quantum quantum est recipiunt & comprobant. Vnde porrò concludit Melanchthonem, cæterosque qui actionibus istis interfuerunt, factos apostatas, euangelioque deserto ad papistarum castra transfugisse. Quanquam conclusio hæc paulò laxior est, & plus comprehendit, quam ex actionibus per Mauritium susceptis inferendum erat. Nec enim Melanchthon omnia Ecclesiæ Romanæ dogmata probauit, canone tantum excepto: Imò ne id facere videretur, non semel protestatus est, sese ab Augustanæ Confessionis doctrina nequaquam discessurum.

Flacij ex his canonibus illatio.
“
“
Schlusselb. li. 13. bar. pag. 822.

Flacij mendacium.

Augustanus liber à Flacianis, Lipsicum Interim nominatur.

Atque hæc causa fuit, cur repudiato, quem recipiendum vrgebat Cæsar, Augustano libro, nouum quendam eiusdem argumenti conficerent, quem Flaciani Lipsicum



ANNO
1556.

Protestatio
Melanchth.

Lipfienfe
decretum
cothurno
fimile.

Melancht.
quare pro-
ditæ veri-
tatis reus.

ficum Interim per contumeliam appellante
Is verò non per Theologos, sed per politi-
cos confiliarios quosdam, Carlouitium im-
primis & Cimmerftadium viros doctos,
confarcinatus fuit, eodem capitum ordine
feruato, quem fequitur liber Auguftanus,
verbis autem & phrafibus eo temperamen-
to concinnatis, vt de dogmatibus, Canone
tantum excepto, nihil diuerfum ab Augu-
ftano libro continere videretur. Atque is
liber cum probaretur in Conuentu Lipfien-
fi (in quo nobiles & ciuitatum incolas ad
mille præfentes fuiſſe dicuntur) Melanch-
thon, cæteri que concionatores proteſtati
funt ſcripto quodam exhibito, probare ſe
decretum, vel ſcriptum Lipficum non in alio
ſenſu, quam pridem à ſe declarato. Epifco-
pi contra eidem decreto ſe dicunt aſſentiri,
non alia conditione, quam vt iuxta men-
tem Cæſaris in Auguſtano libro declara-
tam, intelligatur. Igitur decretum Lipfien-
ſe cothurno fimile fuit; cuius verbis vtri que
mentem ſuam eloqui ſe profitebantur; cum
interim ſententijs inter ſe toto cœlo diſſide-
rēt. Melanchthon verò, quem apoſtaſiæ Fla-
ciani reum faciunt, atque transfugij ad Ec-
cleſiam Romanam, eam ob cauſam probrum
illud & calumniam pertulit, quod de dog-
matibus loquendi formam admitteret apud
Lutheranos inuſitatam, tametiſi ſenſum Au-
guſtanæ Confefſionis retinebat; & ritus
Catholicos recipi pacis ſtudio, periculi que
vitan-

ANNO
1557.

CAPVT XXIII.

- I. *Comitia Ratisbonæ. conuentus Francofurtensis Lutheran. itemq; VVormatiensis.*
- II. *Colloquium inter Cath. & Lutheran. dissidia inter Lutheranos VVormatiæ.*
- III. *Melanchth. Heidelbergam abit, vxore paulo post orbatus.*
- V. *Acta VVormat. inter Flacian. & Melanchthon. itemq; staphylum. miseria Melanchthonis perpetua.*
- V. *Odia & dissidia inter Flac. & Melanchthon.*

I.
Comitia
Ratisbonæ,
Ann. 1557.
Decretum.

Chyt. in
Sax. p. 553.
Conuentus
Lutherano-
rum Franco-
furti ad
Mœnum.

ANNO hoc exeunte conuentus Imperij Ratisbonæ fuit; qui in sequentem vsq; 1557. protractus tandem sub æquinoctium vernum finem habuit. In eo decretum inter cætera, vt ad 14. Augusti VVormatiæ colloquium inter Catholicos & Lutheranos ad dirimendas religionis controuersias haberetur. Quia verò Lutherani scedè distracti grauisimis inter se dissidijs laborabant, ante congressum publicum domesticas primum concertationes sopiendas censuerunt: Nesi VVormatiæ manipulatim disiuncti prodirent in scenam, ludibrijs & fannis ab aduersarijs exciperentur.

Itaque concionatores aliquot principum & ciuitatum Lutheranae professionis in Germania superiore Francofurtum conuenerunt ad Mœnum; vbi duabus de rebus

rebus potissimum instituta fuit consulta- ANNO
tio : De Colloquio nimirum ; quod VVormatiae cum Catholicis habendum erat ; quo- 1557.

modo scilicet aduersarijs in eo congressu sit
occurrendum : tum de generali Lutherano-
rum Synodo post Colloquium indicenda, in
qua de controuersijs domesticis, de discipli-
na, deque instituenda rituum ecclesiastico-
rum conformitate deliberatio susciperetur.

Cæterum quia non ignorabant, quam tur-
piter inter se dissiderent ij, qui Confessionis
Augustanae doctrinam profitebantur, dua-
bus ferè septimanis ante diem inchoando
colloquio destinatum VVormatiae conue-
niendum statuunt, tentandumque an sopire
possent domesticas concertationes, vel eas-
dem instituto syncretismo tegere saltem ad
tempus, priusquam cum Catholicis congre-
derentur. Videbant enim, nisi dissidia quæ
gliscebant, quoquo pacto vel in speciem cõ-
ponerentur, sese non Catholicis modo, sed
& vniuersæ Germaniæ ludibrio futuros :
quod & postmodum euenit, vbi per Flacia-
nos detecta fuit ipsorum turpitudine.

Luthera-
norum stu-
dium in so-
piendis
dissidijs
domesti-
cis.

Conuenerunt igitur plerique VVorma-
tiam maturè satis, ad Calendas Augusti scili-
cet ; quemadmodum Francofurti fuerat cõ-
stitutum. At Melanchthon & socij, quos
Electo Saxo ad hunc congressum misit, in-
tegro mense post, sub initium Sept. scilicet,
VVormatiam primum appulerunt. Deten-
tum aiunt ab Electore Principe, qui profe-

Conuen-
tus Luthe-
ranorum
VVorma-
tiae.
*Surius in
com. pag.
500. 501.*

ANNO
1557.

fecturus dicebatur in Daniam ad Regem fo-
cerum, & Melanchthonem secum ducturus.
Quamquam & ipse totus abhorrebat ab hu-
iusmodi congressibus: Imprimis, quia no-
uerat ad Colloquium hoc è Flacianis ventu-
ros quosdam, futurumque, vt non ipse modo
reuocaretur ad censuram, sed & scæda Luth-
erani corporis carcinomata tangerentur: quæ
sciebat exasperari posse si tangerentur; sana-
ri tamen non posse. Itaque tergiuersatus est,
quamdiu potuit, iter in Daniam causatus;
ad quod cum non assumeretur, tandem man-
datu Principis VVormatiam fuit eundum:
quo per Ludouicum Neogardensem Comi-
tem deductus est, quem Elector ad hæc Co-
mitia legatum misit.

Nomina
Flaciano-
rum.

Inuenit istuc præsentis, quos Saxoniz
Duces Ioannis Friderici filij miserant, Erar-
dum Sneppium, Victorinum Strigelium, Io-
annem Stösselium, & his coniunctos Ioachi-
mum Morlinum, & Erasmum Sarcerium, Il-
lyricanæ factionis homines; tum Ioannem
Brentium à Duce VVirtenbergico missum,
vt actioni interesset. Et quia tardius venit
Melanchthon, vti diximus, de componendis
altercationibus domesticis ad eum modum
agi non potuit, vti res ipsa postulabat. Prius-
quam tamen factum est actionis initium, le-
gati principum Lutheranorum politici con-
uocarunt omnes illius partis concionatores,
qui VVormatiam conuenerant, eosque mo-
nuerunt paucis, vt parati essent ad Congres-
sum;

sum; utq; in Colloquio modestè cum primis ANNO
& perspicuè sententiam suam explicarent. 1557.

Deinde Ducum Saxonix fratrum legatus
Basilius Monnerus, Flacij mancipium ora- Monneri
tione proluxa de varijs erroribus differuit dissertatio.
post bellum Smaicaldicum subintroductis,
quibus Augustanæ Confessionis puritas cõ-
taminata sit, & doctrina corrupta. Hos au-
tem errores primum damnandos esse, atque
anathematis falce ressecandos, restituendâq;
domi concordiam, priusquã cum aduersarijs
congregiantur. Hæc cū longo verborū am-
bitu perorasset principum suorum nomine,
furgit Sneppius, seque dicit ab iisdem princi- Sneppij
pibus in mandatis habere, vt communibus postulatū
suffragijs anathemate feriantur damnentur- de anathe-
que sectarij quidam, Zvingliani scilicet, O- matizandis
liandrini, Maioristæ & Adiaphoristæ. hæreticis.

Perculit hic sermo Melanchthonem, qui Melanch-
cum Adiaphoristarum caput esset, quorsum thon per-
spectarent ista, facile videbat. Itaque cum cussus ter-
sociis tergiuersari cœpit, iniquum esse di- giuersatur.
cens, vt damnentur dissentientes, causa non
prius cognita. Cum vero Saxonici Vinarien-
ses principum suorum mandato sibi dicerent Eius opi-
insistendum, respondit Melanchthon, si da- nio de ana-
amnandi sint errores, articulos condendos themate.
esse, in quibus quid probandum sit, quid im-
probandum præcisè definiatur. Nec Zving-
glianos tantum notandos anathemate, sed &
papistas, Antinomos aliosque: quin & Fla-
cianorum mendacia damnanda. Addit si per
Fla-

ANNO
1557.

Sneppij re-
plica.

Brentius
reijcit ana-
thema latū
in Osiandrum.

Politico-
rum inter-
uentus.

Flacianorū
acerbitas
in anatē
matis scri-
ptione.

Flacianos ipse reijciatur, se lubentem ab ipso-
rum congressibus abfuturum. Interim pau-
ciores nunc ait esse præsentēs, quam ut hu-
iusmodi articuli cum insertis damnationi-
bus scribi possint. Rem hanc magno cum
periculo coniunctam videri, cum tanta sit
multorum rabies in reprehendis alijs.
Hæc Melanchthon. Sneppius vero proba-
uit ista quidem, quæ de periculo Melanch-
thon dixerat, si articuli scriberentur. Inte-
rim mandatum esse dicit suorum principū,
ne cum Pontificijs in arenam descendant, ni-
si sectarijs, quos antè diximus, anathemate
prius ab Augustana Confessione resectis.
Brentius vero prorsus assentiri noluit, ut O-
siander damnaretur; quod scripta hominis
in alienum sensum à mente ipsius torqueri
diceret. Legati politici cum turbas oriri cer-
nerent, re deliberata controuersias ad futu-
ram Lutheranorum Synodum reijciendas
censuerunt: Interim nunc coalescendum
quoquo pacto, causamque contra pontificios
communi studio concorditer agendam, ca-
uendumque ne qua fiat distractio; alioquin
futurum, ut se deridendos aduersarijs, & a-
nathemate feriendos obijcerent. Idem per
litteras monuit Elector Palatinus: Interim
legati Ducum Saxoniae Vinariensium, qui
Flacianæ factionis erant, & principum eo-
rundem Theologi, congressum cum aduer-
sarijs omnino recusabant, nisi mandatis satis-
fieret suorum principum, & anathemata scri-
beren-

berentur; Sneppio interim ob distractionem hanc vbertim lacrymante. Post longam & turbulentam altercationem placuit tandē, vt scriptæ condemnationes, & anathemata sectarum, quas Sneppius reijci postularat, non præfidi, nec Catholicis ludibrii vitandi gratia, sed legatis Lutheranorum principum exhiberentur. Hoc pacto futurum putabant, vt & mandatis satisfaceret ducum Vinarientium; nec vulnera domestica tamen aduersarijs detegerentur.

His ad eum modum peractis, ventum tandem est ad Colloquium. Principio de iudice controuersiarum instituta fuit disputatio. Et Catholici quidem autoritatem iudicandi de controuersijs Ecclesiæ vindicabant; cuius sententiam in generalibus Concilijs, & perpetuo de dogmatibus orbis Christiani, sanctorumque Patrum consensu audiendam dicebant. Melanchthon contra ad sacras litteras, & tria symbola prouocabat: Addebat Confessionem Augustanam, à qua sese cum sociis nequaquam discessurū profitebatur. Hic disceptatum fuit acriter, neutris de sententia discedentibus: In quo certamine Catholici Lutheranis arrogantiam obiecerunt, quod nimirum seipso sanctissimis omnium seculorum patribus, suasque opiniones vniuersalis Ecclesiæ iudicio, & consensu totius antiquitatis anteponerent: Cū interim sententiis inter seipso discrepent, & in varias factiones turpissimè distrahantur.

Dispu-

ANNO

1557.

Anathemata scribuntur.

II.

Colloquiū inter Catholicos & Lutheranos.

Controuersia de iudice disputationis.

Camerar. in vita Mel. pag. 361. & seq.

Lutheranorum arrogantia.

Controuersia de peccato originis.

ANNO
1557.

Obiectio
defectio-
nis à Con-
fessione
Augustana
turbas in-
ter Luthe-
ranos ex-
citat.

Melanch-
thonis de
Missa re-
sponso.

Disputatum quoq; fuit de peccato originis, sed breuiter. Imprimis verò cum aduersarij consensum antiquitatis proteruè reiicerent, Catholici dissensiones ipsorum de summis fidei dogmatibus, & sententiarum discrepantiam, velut certum falsitatis argumentū, identidem obiecerunt. Accidit hoc Lutheranis permolestum; imprimis cum vrgerent Catholici, vt qui verum sese germanumque sensum Augustanæ Confessionis habere crederent, seipsos in vnum redigerent cœtum, & subreptitios sectarum autores anathemate notatos reiicerent, eosque à consortio suo autoritate publica remouerent. Datam esse pacem huic Confessionis decreto publico: Id verò beneficium ad sectas non pertinere ab hac Confessione alienas. Itaque mandatum esse Cæsaris, vt cum iis tantum agatur de conciliandis dogmatibus, qui sine fuco profiteantur doctrinam illam, cuius summa in Augustanis Comitibus anno 1530. Carolo Quinto sit oblata. Hæc & id genus alia cum dicerentur, satis intellexit Melanchthon, detectum iri, quam tanto studio velarat, domesticam Lutheranorum turpitudinem. Itaque consternatus demissè respondet: Postulare rem ipsam, vt exorta controuersia prius explicentur. Quod cum factum fuerit, condemnationes errorum singulis articulis adiungi posse. Verū Catholici in sententia persistenterunt, vrgeres, vt quos errores agnoscerent Augustanæ Confessionis sub-

subrepisse, ijs anathema dicerent. Hic ve-
 rò Lutherani, qui cum diuersæ factionis ef-
 sent, & syncretismi larua fraudulenter ob-
 uoluti concordiam simulabant, in partes
 dissilierunt. Flaciani parendum censuerunt,
 & offerendas præfidi condemnationes do-
 mesticarum hæreseon, quas antea priuatim
 legatis Lutheranorum principum exhibue-
 rant. Melanchthon cum hac ratione ful-
 men anathematis in suum quoque caput vi-
 brandum cerneret, socios ab hoc instituto
 dehortatus est. Verum id frustra fuit: Fla-
 ciani siquidem à sententia de vibrando da-
 mnationis fulmine nullis potuerunt ratio-
 nibus dimoueri.

ANNŌ
 1557.
 Lutherani
 in diuersas
 partes abe-
 unt.

Quod cum Melanchthon animaduerte-
 ret, vt placaret zelotas istos, Flacianos in-
 quam, ac tempori seruiret, & ipse conscripsit
 anathemata quædam, in quibus inter alios,
 quos notandos censuit, adiaphoristas etiam
 condemnauit; eam nimirum sectam inter Lu-
 theranos, cuius ipse primus autor, caput, &
 præcipuus ductor habebatur. Ita factum est,
 vt condemnationis fulmen, & dirum anathe-
 ma, quod à Flacianis sibi paratum nouerat, in
 Comitijs publicis Melanchthon ipse diuino
 iudicio quodam in suum ipsius caput intor-
 queret. Interim protestatus est de menda-
 ciis Illyrici, quibus se querebatur, aliosque
 viros innocentes præter meritum grauari.
 Brentius vero, quemadmodum & paulò supra
 diximus, Osiandrum cum reliquis sectarijs
 in com-

Melanch-
 thon sei-
 psium ferit
 anathema-
 te.

Eius de in-
 iurijs pro-
 testatio.

ANNO
1557.

in communem trahi culpam, dirisque deu-
ueri noluit: Qua in re non à Melanchtho-
ne tantum & cæteris Adiaphoristis, verum
à Flacianis etiam diuersum indicauit.

Protesta-
tio Flacia-
norum
Præfidi
oblata.

In hac perturbatione rerum & voluntatū
discrepantia Flaciani Iulium Pflugium ade-
unt Colloquij præsidem, eique protestatio-
nem offerunt, in qua Zvvinglianos, Osi-
andinos, Maioristas, Synergistas & Aiapho-
ristas damnant velut alienos ab Augustana
Confessione, cui se constanter aiunt & in so-
lidum adhærere; Ideoque quod ad religio-
nem attinet, nihil sibi commune futurum
cum sectariis istis profitentur. Ita Melanch-
thon, qui Confessionem hanc ante annos
27. ipse consarcinarat, ab ea nunc per disci-
pulos explosus, velut è ciuitate Lutherano
proscriptus fuit. Flaciani vero protestatio-
ne, quam diximus, exhibita, confestim iter,
ingressi domum reuerterunt: quorum abi-
tu colloquium initio suspensum fuit; post
etiam planè dissolutum. Neque enim Ca-
tholici cum aduersarijs inter se tam foedè
dissidentibus progrediendū iudicarunt, ni-
si consulto primum Ferdinando Rege. Ad
hunc igitur rem omnem perscribit præses,
& quid hoc rerum statu porro sit faciendū,
exquirat.

Consil.
Theolog.
Mel. fol.
751. 752.

Flaciani re
infecta
abeunt.

III.
Melanch-
thon Hei-
delbergam
euocatur.

Interim vero, dum responsum expecta-
tur, Palatinus Elector Otho Henricus Me-
lanchthonem per litteras Heidelbergam e-
uocat, vt eius opera consilioque ad statum
acade-

academiæ constituendum vteretur. Inuenit ANNO
 istic Melanchthon Iacobum Mycillum ami- 1557.
 cum veterem, quo cum suauiter ad dies ali- *Camer. pag.*
 quot vixit. Hunc aliosq; nonnullos è Pro- 367.
 fessoribus Melanchthoni princeps adiunxit;
 inter quos instituta fuit de studiis instauran-
 dis deliberatio. Melanchthon verò mode- Ad scholas
 rabatur consultationem istam; cuius auto- dirigen-
 ritate consilioque potissimum ea, quæ prin- das.
 ceptus voluit, de rerum administratione con-
 stituta fuerunt.

Dum Heidelbergæ moratur, vxorem, Eius vxor
 quam decumbentem domi reliquerat, rebus moritur.
 humanis exemptam intelligit, nunciante *Camer. pag.*
 Camerario, qui hanc ob causam istuc excur- 369.
 rit, vt triste nuncium amico suauiter infi-
 nuaret.

Interea Ferdinandus Rex de discordia VI.
 Lutheranorum, deque Flacianorum abitu Melanch-
 factus certior, per litteras hortatur præsi- thonici iu-
 dem, vt necessitas ita postulet, alij surrogen- bentur re-
 tur in eorū locum, qui discesserant, & si quā dire in gra-
 ratione fieri possit actio resumatur. Catho tiam cum
 lici verò mente Regis intellectâ, monue- Flacianis.
 runt aduersarios, qui VVormatiæ remanse-
 rant, vt cum sociis redirent in gratiam, à qui-
 bus erant anathemate notati, seque rursus
 coniungerent in vnum corpus. Alioquin ne-
 scire se protestabantur, quibus cum actionē
 resumere debeant; cum vtrique prouocent
 ad Confessionem Augustanam; de cuius do-
 gmatibus atque sensu tamen eum in modum

Z

inter

ANNO
1554.

*Camer. à
fol. 371. ad
longum.*

*Cōuentus
Worma-
tensis re
infecta
soluitur.*

*Frid. Sta-
phyli scri-
ptum de
eadem.*

inter se dissideant, vt alterutros necesse sit ad eam non pertinere. Ipsos quidem, qui VVormatiæ remanserint, Confessionem hanc verbo profiteri: verum interim à socijs Saxonix Ducum Theologis abeuntibus damnatos esse, velut sectarios, & eiusdem Confessionis desertores, quibus nullum cum ea sit commercium. Igitur vel conueniendum illis denuo, vel certè statuendum, illine, qui protestatione facta discesserint, an vero Melanchthon cum cæteris præsentibus Augustanæ Confessionis dogmata ritè profiteantur. Priusquam alterutrum fiat, non esse Catholicis integrum, vt actionem in incertum prosequantur. Atq; hic velut in vado negotium hælit: Cumq; frustra videtur expectandū, vt Saxonix duces alios submitterent in eorum locum, quos auocarant, tandē re prorsus infectā dissolutus fuit conuentus iste: in quo ferè nihil actum est aliud, nisi quod detectā Lutheranorū tupitudine, quā larvā quadam syncretismi velarant, Melanchthon alijq; VVittenbergēses à Flacianis Lutheri discipulis anathemate notati fuerūt, & ab Augustana Cōfessione reiecti: quæ causa fuit, vt Catholici cū illis in actione p̄gredi recusarēt; præsertim ijs absentibus, qui protestati fuerant, se solos Confessionem istam, quemadmodum oblata Cæsari fuit in Comitij Augustanis, integram puramq; sine fūco profiteri.

Fuit inter Catholicos, qui VVormatiæ
con-

conuenerant, & Fridericus Staphylus Iure-consultus, Ferdinandi Cæsaris, & Bauariæ Ducis Consiliarius, vir doctissimus, qui cum

ANNO 1557.

omnia nosset, & secretissima quidem Luthera-
rañæ sectæ mysteria, totam eius turpitudi-
nem detexit edito libello, cui titulum fecit:

Trimembris epitome Theologiæ Lutherana: in cuius parte tertia, de varijs eorum se-
ctis differit, qui Confessionis Augustanæ no-
men profitentur. Et quia scædum hoc Lu-
therani corporis hulus seueriore manu pres-
sius contrectauit, iracundiam ipsorum, adeo-
que furorẽ in se vehementer incendit. Gra-
uius imprimis exarsit Melanchthon, quem
Staphylus caput & ducem constituit tertiæ
phalangis euangelicorum, quam in varias fa-
ctiones turpiter distraetã suis coloribus de-
pingit. Eam iniuriam ulturus Melanchthon
anno sequente proximo respondit ad libellũ
hunc, & scriptum quoddam contra Staphylũ
emisit nõ atramento, sed atro felle potius ex-
aratum; in quo Staphylum acerbissimis cri-
minationibus infectatur, iam & alij quidam
præter Melanchthonem eundem Staphylũ
allatrarunt scriptis publicis; Flacius Illyri-
cus scilicet, Andreas Musculus, Iacobus Smi-
delinus, & Longinus quidam Schvvenck-
feldianus, diuersarum sectarum homines: Quibus omnibus vnã responsionem op-
posuit eleganter neruoseq; scriptam sub hoc
titulo: Contra ædificatores turris Baby-
lonicæ Friderici Staphyli responsio. Vbi

Odium
hæreticorũ
in se con-
citatur.

ANNO 1558.
Imprimis
Melanch-
thonis:

Flacij Illy-
rici.
Musculi.
Smidelini.
Longini:

ANNO
1558.

Staphili
contra eos-
dem re-
sponso.
Luthera-
norum co-
natus in
dissidio
compo-
nendo.
Melanch-
thonis fen-
tentia.

*In ep. ad
Cam. p. 732*

Luthera-
nismus hy-
dra multo-
rum capi-
tum.

*In cap. Bab.
A. 2. b.*

prodijt scriptum hoc, retraxit se Melanchthon, nec posthac Staphylum amplius impetiuit.

Cum verò Lutheranismus ob intestina dissidia malè passim audiret, & libri Catholicorum in manibus hominum versarentur, quibus illa turpitudine detegitur, cœptum est inter Lutheranos cogitari, quâ ratione tandè medicina fieret huic malo, & concertationes istæ domesticæ sopirentur. Melanchthon nò improbavit, ille quidem pacis sanciente studium: at rem ipsam difficilem effectu, imo prorsus impossibilem iudicavit; malum illud hæreseon domesticarum hydræ comparans, cui vno præciso capite plura subnascantur. Quod nostri principes, inquit, tolli cõtrouersias cupiunt, voluntas laudanda est: sed conantur hydræ caput præcidere hoc sycophantico seculo. Hæc Melanchthon; Et verissimè quidem, si quid aliàs vnquam. Est enim hydra multorum capitum hæresis Lutherana; cuius si caput vnum succidatur, plura succrescunt. Quod Lutherus vaticinatus est futurum, cum prima sectæ fundamenta poneret; quemadmodum hæc ipsius verba testantur in præludio Babylonico: Quia video illis otium & chartas abundare, dabo operam, vt negotium scribendi habeant copiosum. Præcurram enim, vt dum gloriosissimi victores de vna aliqua mea hæresi, vt eis videtur, triumphant, ego interim nouam moliar.

In.

Interea prudentiores vehementer tædebat factionum istarum & disfidiorum; ideo- ANNO
 que quod anno superiore Francofurti decre- 1558.
 tum erat, vt Synodus indiceretur ad sopien- Principes
 das controuersias, id nunc tandem ex- vrgent Sy-
 quendum iudicabant. Vrgabant hoc impri- nedrion.
 mis viri quidam principes, qui spem omnē Melanch-
 instaurandæ concordæ in Synodo repositam arbitrabantur. Melanchthon verò per- thon con-
 petuo restitabat in consultationibus istis, tra resistit.
 cum in Synodo, propter Flacianorum po-
 tentiam, nihil aliud sibi videret expectandū,
 quam vt anathema istud, quod VVormatiæ
 vibratum erat, multorum suffragijs & au-
 toritate quidem Synodicâ confirmaretur.
 Cæterum quanto Melanchthon alienior e- Flacianorū
 rat ab hoc instituto, tanto feruentius idi- æstus & ve-
 ipsum vrgabant Flaciani, quorum in eo stu- hementia
 dium omne vertebatur, vt Melanchthon in cogen-
 nem autoritate Synodi de gradu deiectum do Syne-
 opprimerent. Itaq; nō minus illi periculum drio.
 à Flacianis in Synodum coëuntibus, quam à
 Tridentinis patribus imminere videbatur.
 Atq; in huiusmodi trepidatione, perpetuoq;
 metu, quod reliquum erat vitæ transigen-
 dum illi fuit; vt sibi ne VVittenbergæ qui-
 dem tutus esse videretur: Nec aliud postre- In ep. ad
 mis aliquot annis expectauit, quam vt Fla- Cam.p. 718.
 cianorum machinationibus loco submotus 719. 753.
 in exilium pelleretur. Si Flaciana rabies in-
 quit ad Camerarium scribens) me fugere co-
 get, ostendet Deus alicubi hospitium. Et

ANNO
1558.

in alio quodam epistolio: Ego quoque, si
possem, fugerem, non, vt in carmine dicitur,
» vltra Sauromatas & glaciale Oceanum,
» sed certe in aliquas latebras quascunque De-
» us offerret. Et si viam diutius, expecto
» exilium. Et paucis mensibus ante mortem;
» Reuersus litteras accepi, quæ narrant, mira-
» bilibus technis hoc agi à Flacio, vt hinc ex-

ANNO 1559.

pellar. Hæc Melanchthon ipse: Et certe in
votis illi fuisse videtur, annis posterioribus,
vt alibi, quam V Vittenbergæ vitam ageret;
nimirum vt laxare frenos iracundiæ posset,
& ad vindicandas Flacianorum iniurias li-
berius prouehi. Imo venit illi aliquando in
mentem hanc ob causam ab aula missionem
petere; quemadmodum ad Camerarium ipse
scribit sub initium anni 1559. Scribam aulæ,
inquit, vt me dimittant, vt in alio loco re-
» spondeam. Sed frustra huiusmodi cogita-
» tiones suscepit: manendum fuit in ergastu-
» lo hoc, vt V Vittenbergam aliquando nomi-
» nauit, donec per mortem illis difficultatibus
» fuit expeditus.

Cogitat
Witten-
bergâ di-
scedere.

Ibid. p. 479.

V.

Flacij con-
siliu in
scripto cõ-
sarcinan-
do contra
sectas, &c.

Dissoluto Colloquio V Vormatiensi, cum
Theologi ducum Saxonix domum rediis-
sent, & Synodus toties flagitata suspendere-
tur; Flacius Illyricus autor fuit principibus
istis, vt libro quodam edito sectas omnes
anathemate configerent, quæ præter Augu-
stanam Confessionem annis superioribus e-
rant exortæ; mandarentque subditis, vt ab
earundem sectarum inquinamento sibi ca-
uerent.

uerent. Placuit consilium Flacij; fuitq; liber ANNO iste mandatu Principum per Ienenles quosdā 1559.

Theologos cōscriptus: Qui cum examinandus esset à Flacio cæterisq; concionatoribus varię sunt & acerbè cōtentiones inter autores ipsius libri, & censors exortæ. Atq; ea res in causa fuit, vt scriptū illud tum quidē seponeretur: quod tamen anno sequente proximo

Contro-
uersiæ ex-
ortæ in
examine
scripti.

1558, Coburgi per Flacianos quosdā Simonē Musæum, Maximilianum Morlinum, Ioannem Stösselium, Flacium ipsum, aliosq; nonnullos ita concinnatum fuit, vt autoritate principum sub titulo Confutationum Nouëmbri mense publicaretur. Additum fuit edictum, ne quisquam de controuersis fidei capitibus aliam credendi normam sequeretur quam istic constitutam videret.

Atque ita *κρίματα* Flacianorum vel principia, quibus in dijudicandis fidei controuersijs vtuntur, accessione huius voluminis aucta fuerunt; In quo decem sectis anathema dicitur, inter quas recensentur & illæ, quas iam ante concionatores horum principum VVormatiæ condemnarant; hæreses inquam Sacramentariorum, Osiandrinarum, Adiaphoristarum, Maioristarum & Synergistarum. Atque ita Melanchthon & VVittenbergenses publico decreto principum illorum, qui soli fere purum putum Lutheraniæ doctrinæ nucleum retinuisse putabantur, ceu putrida membra ab Augustana Confessione resecti fuerunt.

Anathema
decem se-
ctis in li-
bro Flacia-
no dicitur.

ANNO
1559.
Melanch-
thon totā
Academiā
Witten-
berg. in
Flacium
conciat.
Eius scri-
ptum ma-
ledicum.

Melanchthon, qui Flacium huius consilij au-
torem fuisse nouerat, vt illatam contume-
liam insigniter vindicaret, in caput illius
vniuersum Academiae VVittēbergensis gre-
gem scholasticum concitauit, cuius nomine
scriptum quoddam anno 1559. diuulgatum
prodiit, adeo virulentum & maledicum, vt
in hoc genere post Lutheri scripta nihil ma-
gis asperum, ac venenatum in lucem prodi-
isse videatur.

CAPVT XXIV.

- I. *Noua heresis Lutheran. Hamburgi per AE-
pinum excitata.*
- II. *Palatinatus caliginizat autore Melanch-
thone Lipsiam ad examen alumnorum e-
uocato.*
- III. *Melanchthon feбри correptus.*
- IV. *Decumbens grauiter de varijs sermocinatur.*
- V. *Mors eius, sepultura & orationes in funere
habita.*

Hæresis
Luthera-
norū Ham-
burgi.

Dogma Io.
Æpini de
Christi de-
censu ad
infernus.

SV B hoc tempus Hamburgi nouum in-
ter Lutheranos certamen exarsit, de de-
scensu Christi ad inferos; quod eousque
studio dissidentium incruduit, vt Senatus
istius vrbs academiam VVittenbergensem
putarit super hac controuersia consulendā.
Erat Hamburgensis Ecclesie Lutheranorū ri-
tu Superintendens Ioannes Æpinus, qui
Christum asserbat nō modo descendisse ad
infernus, sed & pænas ac tormenta damna-
torum

torum istic in anima sustinuisse. Huic plerique se concionatores opposuerunt, qui dogma illud, velut horrendam blasphemiam detestabantur. Cumque res magno animorum ardore ageretur, Consules & Senatus negotio componendo manum admouerunt, conditis quibusdam aphorismis, vel articulis de hoc argumento, quos velut normam credendi concionatoribus proponēdos censuerunt, eorumque sententiam inquirēdam. Ne quid autem inconsultò facere viderentur, datis ad VVittenbergenses litteris tria quædam ad deliberandum proposuerunt: Primum fuit, An Theologi probandam censeant inchoatam agendi rationem in proponendis articulis? Alterum, quæ sit ipsorum sententia de dogmate controuerso? Tertium, Si qui forsitan institutam inquisitionem defugiant, quid in eos sit statuendum? aut quid aliud agendum in hoc negotio videatur.

Respondit Vniuersitatis nomine Melanthon in hanc ferè sentētiā: Pertinere prorsus ad curam senatus, vt Ecclesia rectè doceatur, & ne dissidia serantur. Ideoque piè recteque factum, quod instituta sit de restituenda concordia deliberatio. Interim optare se dicunt, non tam multos esse propositos articulos, quorum nonnulli, si agitentur, magnas sint disputationes parituri. Ad controuersiam ipsam quod spectet, expectare se sententiam aliorum, ad quos de ea scripserint, scilicet vt collatis iudicijs certum quid

ANNO
1559.

Aphorismi
Hambur-
genfium.

Eorum ad
Wittēber-
genfes lit-
teræ.

Tria capi-
ta delibe-
rationis.

In ep. sel.

p. 491.

Witten-
bergenfiū
respōfio ad
primum
caput.

Ad secū-
dum caput
de dogma-
te contro-
uerfo.

ANNO
1559.

Lutheri
sententia
de descen-
su Christi
ad inferos.

respondere possint; ne postea diuersitas opinionum dissidium inflammaret. Lutherum cunctanter ad hunc articulum explicandum accessisse; quem tantum ad Christi victoriam accommodarit. Interim dolores inferorum, de quibus psalmi loquuntur, non restringendos esse tantum ad tempus post animæ separationem: Quosdam etiam in hac vita degustare sensum iræ diuinæ: Qui dolor singularis in filio Dei fuerit, & maior quam in vllis vnquam sanctis; cùm integrè magnitudinē iræ Dei aduersus nostra peccata senserit tuleritque; nec illius doloris magnitudinē ab hominibus aut angelis comprehendere posse, vel sustineri. Demum consilij sui summam explicant in hunc ferè modum: Cùm cōstet, dissensionem tantum esse de cruciatibus animæ Christi post separationem à corpore, rogare se, dicunt, ne deinceps inquisitio particularis ad conscriptos articulos vrgeatur, vel occasio quærat alterutros eijciendi. Censuisse Lutherum, quæstionem hanc de pœnis animæ Christi post mortem non esse mouendam. Itaq; mandandum vtriq; parti, vt expectent aliorum etiam iudicia, ac interea in concionibus, in scholis, aut alijs publicis congressibus omittant mentionem huius quæstionis in vtraq; parte. Interim non aboleri articulum de descensu Christi ad inferos; sed omitti tantum inquisitionem eius particulæ, de animæ Christi separatæ cruciatibus apud inferos: de qua Lutherus non inqui-

inquirendum iudicari. Hæc Melanchthon. ANNO
 Initio huius eiusdem anni 1559. ad 12. Feb. 1559.
 obiit Ottho Henricus Elector Palatinus, Mors Ot-
 qui Fridericum Tertium decimo gradu ag- thonis He-
 natum in Electoratu successoré habuit. At- rici Palati-
 que hic non diu post exploso Lutheranismô Frider. III.
 Calvinismum in Palatinatū induxit: Quod succedit,
 imprimis Melanchthonis culpa cōsilioq; fa-
 ctum Lutherani quiritantur. Ea verò res ad
 hūc modū gesta est. Irreperant sub Otthone Calvinistæ
 Henrico Calvinistæ quidā, vel Sacramētarię in Palati-
 factionis homines in Academiā Heidelber- natum ir-
 gensen; inter quos primi nominis fuerūt Pe- repunt.
 trus Boquinus, & Gulielmus Clebitius. Hi cū Palatini ad
 proderent Sacramētarium Spiritum, ab Hes- Melancht.
 husio cæterisq; Lutheranis reprehensi atque litteræ de
 oppugnati fuerunt. Vnde certamen exarsit controuer-
 inter utrosque, & satis acre quidem, quod sia.
 nouum Electorem vehementer sollicitum
 habuit. Igitur vt sedaret motus istos, litte-
 ras dedit ad Melanchthonem, eiusque iudi-
 cium de hac cōtrouersia, & quomodo com-
 ponendum sit dissidium, exquisiuit; vnaque
 scriptam Heshulij Clebitijq; confessionem
 de cœna Domini transmisit.

*Sur. in com.
pag. 539.*

Melanchthon eum in modum respondit, Melancht.
 vt Sacramentarijs potius, quam Lutheranis pro Calui-
 addictum sese non obscuris indicatijs osten- nistis re-
 deret. Lutheri sententiam de Euchari- spondet.
 stia iam pridem animo repudiauerat, & *Peuc. apud*
 secretò transfugerat ad castra Sacramen- *Reut. nar-*
 tiorum, quos anno 1530. in Augusta- *rat. de Mel.*
 na Con- *pag. 339.*

na Con.

ANNO 1559. Sacramentarium virus prodit.

Flacianos odio habet.

Palatinum in eisdem concitat.

Melancht. causā dat hæresi Calvinianæ in Palatinatu.

na Confessione verbis expressis anathemate notarat. Itaque totus nunc eam in partem inclinavit, & in hac epistola satis apertè prodidit Sacramentarium virus, quod multis annis publica Lutheranismi professione velatū occultauerat. Iam verò & Heshhusium, cæterosque Lutheranos, qui Heidelbergæ cum Sacramentarijs dimicabant, vehementer oderat, quod de grege Flacianorum essent; à quibus per annos decem continuos & amplius, petulanter sese, & acerbè summaque cum cõtumelia meminerat exagitatum. Hanc igitur iniuriam vindicandæ nactus occasionem, in Flacianos cõcitavit principem, qui consilium illius secutus, Heshhusium & Clebitium, vtriusque factionis capita loco movit, & Calvinistas deinde fouendos suscepit. Ita Melanchthon iam morti vicinus (nam paucis mensibus superuixit) vnis litteris insignem hanc Germaniæ prouinciam ab Augustana Confessione diuulsit, eamque Sacramentarijs dedit occupandam. Nam Elector princeps ipsius autoritate permotus, homines istius factionis in academiam Heidelbergensem inseruit; ex qua deinde contagio hæc post Melanchthonis obitum, in Palatini ditiones omnes dimanauit, Lutheranis frustra calcitrantibus, qui non dubitanter asserunt, sanguinem eorum, qui hausto Sacramentarium veneno in Palatinatu perierunt, de Melanchthonis manibus in die iudicij requirendum.

Agebat

Agebat Melanchthon cum ad Palatinum scriberet, annum ætatis sexagesimum tertium, quem vulgo climactericum appellant. Hunc cum paulò post, anno sequente scilicet 1560. 16. Februarij compleuisset, iamque pericula climacteris istius omnium in vita periculosissimi superasse videretur, attenuari deinceps corpus, & vires paulatim deficere ceperunt. Exeunte Martio, mandatu principis Electoris Lipsiam euocatus fuit ad examen alumnorum, quos in Vniuersitate sustentabat Princeps. Huic examini Melanchthon ab annis aliquot præesse consueuerat: Itaque VVittenberga profectus trigesimo Martij venit Lipsiam, & negotium sibi commissum vnà cum alijs de more peregit. Quanquam verò tenui iam erat valetudine, cum iter ingrederetur, paulo debilior tamen ad suos redijt, quam exierat; idque ex aëris intemperie forsàn, & vectatione, quæ solito illi molestior accidit.

Redijt verò VVittenbergam Aprilis die quinto, & biduo post ad languorem accessit febris tertiana, vel hemitritæa potius, vt postea deprehensum est, cuius septimo paroxismo tandem ad 19. Aprilis extinctus fuit. Ab initio morbi mortem illi præfagiuit animus, quemadmodum Lutherani commemorant; Imprimis eum terruit eclypsis in æquinoctio istius anni; tum Saturni Martisque coniunctio, quam imminere nouerat, de qua sequentibus diebus frequenter loquebatur, stultè

ANNO
1560.

Ann. 1560.
Annus 63.
climactericus.

In Narrat.
VVitt. de
obitu Philippi c. 1.

Melancht.
Lipsiã euocatur ad
examen alumnorũ.

III.

VVittenbergam redit, vbi tertiana febris laborat.

Terriculamenta Melanchth.

ANNO
1559.

Sterilitatē
præomi-
natur.]

A Flacianis
vexatur.

Verba eius
in lectione
ultima quā
VVitten-
bergæ ha-
buit.

Tria quæ-
dam suis
filiis preca-
tur.
*In Narrat.
VVitt. de
ob. Phil.
B. iij. b.*

stultè facere dictitans , qui eam contemne-
rent. Quanquā huiusmodi coniunctiones nō
tam corporibus , quam rebus communibus
portendere quippiam iudicabat. Itaq; steri-
litem ex his signis ominabatur , & autor
erat Academiae , vt ad necessarios suorum v-
sus frumentum coëmeret : Quod ex ipsius
consilio factum est. Iam & de Flacianorum
turbulentis consilijs, & machinationibus ve-
hementer erat sollicitus, & crebros sermones
habebat. Eos enim nouerat magnis clamori-
bus adhuc vrgeri Synodum, à qua Melanch-
thon, vt diximus, totus abhorrebat; Huius
igitur rei cogitatio sollicitum eum habuit:
cumque sub initium morbi litteras exararet
ad amicum quendam in littore Baltico, in-
ter cætera, se fortassis eripiendum ait ex Sy-
nodo Lystricâ , quam Flaciani moliantur.
Quanquam verò languor indies augebatur,
professionem tamen publicam intermitte-
re noluit, licet omnes quietem illi suade-
rent. In lectione, quam nono die ante mor-
tem habuit, cum verba quædam Ioannis ex-
plicaret, Christum ait , tria quædam preca-
tum, vt Ecclesia conseruetur in mundo; de-
inde vt eadem sit vna , concors nimirum &
consentiens; demum, vt in ea quidam electi
sint & saluentur. Quæ eadem patrem suum,
aiebat, meditatam fuisse , cum decumberet,
triduò ante mortem. Subiecit cōtinuo: Hæc
tria vota , moriturus ego etiam meis liberis,
& filiolis relinquam , vt sint in ecclesia,
Deumq;

Deumque rectè inuocent ; vt sint vnum in ANNO
 ipso & concordēs , vt sint hæredes vitæ æ- 1559.
 ternæ. 66

Hæc Melanchthon vndecima Aprilis in
 lectione: nec ineptè quidem , si Ecclesiæ no-
 mine non aliquam ex factionibus nuper ex-
 ortis intelligas , sed Ecclesiam quam ædifi-
 cavit Christus propagandam toto terrarum
 orbe , nec vnquam interituram : de qua pa-
 rens Melanchthonis iam moriturus procul-
 dubiò locutus fuit , qui cum Catholicus es-
 set, anno 1508. quemadmodum initio di-
 ximus , peste sublatus ad Dominum migra-
 uit. Paulò post Ioachimus Camerarius , quò
 nullum inter amicos chariorem habuit , de
 Melanchthonis inualetudine per amicos ad-
 monitus , VVittenbergam aduolauit pridie
 sacri Pascatis ; quod festum hoc anno in de-
 cimumquartum Aprilis diem incidit. Fuit
 illi longè gratissimus Camerarij aduentus,
 quem vsque ad decimumseptimum Aprilis
 apud se detinuit ; atque interim suauiter
 cum illo contulit de rebus multis : Cum-
 que meliusculè iam habere videretur , deci-
 moseptimo Aprilis Camerarius discessit, re-
 diturus quamprimum per occupationes li-
 ceret.

Melancht.
 pater Ca-
 tholicus.

Visitatur à
 Camerar.

At Melanchthon non expectato ipsius re-
 ditu , decimonono Aprilis paulò ante se-
 ptimam vespertinam in septimo paroxif-
 mo vitam cum morte commutauit. Pri-
 die quam moreretur , cum circa nonam
 matu-

In septimū
 paroxismū
 cadit.

ANNO
1560.
Iudicium
Peuceri
generi de
morbo ex-
quirit.
Eius respō-
sum.

Testamētū
instituere
conatur.

*Peucer. ubi
supr. à pag.
43. ad 49.*

Capillos
sibi præcidi
iubet,

Indusia &
pileum
mutat.

matutinam Peucerum generum videret astantem, qui professione medicus erat, iudicium eius de morbo, tum quid spei haberet, exquisiuit; hortatus, vt liberè proderet sententiam suam, nec quicquam dissimularet. Respondet ille, non abesse periculum, si causæ physicæ considerentur: Imbecillitatem esse magnam, quæ & in momenta augetur. Hoc sermone permotus de condendo testamento, rebusq; suis disponendis cogitationem suscepit. Cæperat in hoc genere iam pridem commentari quippiam, & pagellas aliquot conscriptas reposuerat, in quibus non longè tamen progressus erat; Eas nunc ad se deferri postulat, vt cæptum opus absolueret. Et quæsitæ quidem fuerunt diligenter in omnibus Musæi scrinijs: verum cū non inuenirentur, orta fuit suspicio sublatis esse pagellas istas ab homine curioso: quod illi non rarè in alijs etiam rebus acciderat: Itaque nouum scribere testamentum exorsus est; quod tamen ob virium defectionem absoluere non potuit. Tandem 19. April. hora 6. matutina, cū septimus morbi paroxismus immineret, capillos sibi præcidi voluit, qui paulo longiores videbantur. Eam ad rem Peuceri generi ministerio vt cōsueuerat, quem rogauit, vt comam præcideret. Deinde & indusia mutauit, quæ à multis annis triplicia gestauerat, ita vt aliud alio super indueret. Pileum quoque nocturnum mundum imponi sibi iussit, eumque in modum tonsus,

tonsus, comptusque & ornatus varijs de re-
 bus sermones cum suis habuit: Imprimis
 verò scdam ecclesiæ Lutheranae distractio-
 nem deplorauit; quod ipsum iam antea quo-
 que frequenter fecerat durante morbo, pe-
 tulantiam eorum malitiamque detestatus,
 quorum culpa dissensiones exarserant. Atq;
 hoc sermone Fiagianos notabat, quos die-
 bus superioribus grauius excandescens ho-
 mines nequam appellarat, cum distractio-
 num inferrent causas & his malis, quæ iam
 inuexerant, tetriora quotidie moliren-
 tur.

Verum vt reuertamur, ad 19. Aprilis,
 adstabant horis matutinis extranei quidam,
 quos abitum parantes rogabat, vt prandē-
 rent secum, futurum asserens, vt ad gu-
 standum quippiam præsentia ipsorum &
 sermonibus inuitaretur. Et condixerunt
 isti quidem prandium: at Melanchtho-
 nem tantus languor corripuit, vt sub id
 tempus, quo septimus paroxismus immi-
 nebat, animi deliquium pateretur; ex quo
 cum restitutus esset, atque nonnihil re-
 creatus, quieuit paululum. Deinde char-
 tas ad se deferri postulat, in quibus de
 testamento suo nonnihil fuerat machina-
 tus. Sed ea virium erat imbecillitas, vt ab
 opere fuerit desistendum.

Ego, inquit, festinatione excludor;
 insinuans se præter expectationem morte

ANNO
 1560.
 Sermocina-
 tur de va-
 rijs impri-
 mis, de scæ-
 da Luthe-
 ranismi
 diuulsio-
 ne.

Extraneos
 rogat ad
 prandium.

Animi de-
 liquium
 patitur.

Testamētū
 conatur
 absoluere
 sed frustra.

aa

præ-

ANNO
1560.

præueniri, quo minus cœptum opus perficeret.

IV.
Spiritus
exhalat.

Fuit hoc circa decimam antemeridianam; cumque morbus perpetuò ingrauesceret, tandem sub vespertinam septimam extremum spiritum exhalauit. Vniuersitas scri-

Cam. p. 380

Sur. in com.

p. 540.

Narrat.

VVit. H. iij.

Cösil. Theo-

log. p. 790.

791. 792.

Eius funus
magnificū.

ptis eodem vespere litteris Electorem Augustum de Melanchthonis obitu fecit certiore; cuius mandatu corpus exanime plumbeo sarcophago fuit inclusum, addito breui scripto, quod historiam defuncti & vitæ cursum succinctè complectebatur.

Funus vigesimoprimo Aprilis elatum est insigni cum pompa, qualem à sepultura Lutheri VVittenberga non vidit. Delecti quidam ex professoribus Collegij Philosophici, qui thalaribus induti lugentium more tumbam ad Ecclesiam parochialem deportarunt. Ibi cantatis Luthe-

Pauli Ebe-
ri funebri
de eo Con-
cio.

rano ritu nœnijs, Paulus Eberus eiusdem Ecclesiæ pastor Concionem ad populum habuit.

Item Orte-
lij Oratio.

Posteà delatum est funus ad templum Omnium Sanctorum, quod arci Principis contiguum est; vbi tumba ad sepulcrum deposita, Vitus Ortelius Medicinæ

Terræ mā-
datur.

Doctor, & græcarum litterarum professor, oratione Latina Melanchthoni parentauit. Cùm perorasset Ortelius, tumba in sepulcrum demissa fuit, haud procul ab eo loco vbi Lutheri corpus ante annos quin-

quinque fuerat collocatum. Post obitum Melanchthonis, quemadmodum Flaciani lacerandis defuncti manibus, ita Melanthonici laudibus ipsius decantandis saturari vix potuerunt. Et quia permissum istis non fuit, ut in Synodo viuentem anathemate configerent, quod imprimis habebant in votis; mortuum persequi, velut hostem doctrinae purioris & euangelij desertorem, vibrato condemnationis fulmine, non destiterunt.

ANNO

1560.

Narrat.

VVittenb.

I. y. ij.

Viuus mox

tuusq; Fla-

cianorum

conuitijs

expositus.



*Finis vitae & rerum Gestarum Philippi
Melanchthonis.*

aa 2

VITA